

NEDL TRANSFER
HN 4TR4 I


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE GIFT OF
WILLIAM GRAY,
OF BOSTON, MASS.
(Class of 1829).
Jan. 1, 1861.

CAROLI FRIDERICI HERMANNI,
PROFESSORIS MARBURGENSIS,

LECTIONES PERSIANAE.

MARBURGI & LIPSIAE.
SUMTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXLII.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS CLARISSIMIS
DOCTISSIMIS

JANO BAKE,

LITT. ANTIQ. IN ACAD. LUGDUNENSI P. P. O.,

JACOBO GEEL,

EJUSDEM ACADEMIAE BIBLIOTHECARIO,

ANTONIO VAN GOUDOEVER,

LITT. ANTIQ. IN ACAD. RHENO-TRAJECTINA P. P. O.
ET EJUSDEM BIBLIOTHECARIO,

PHILOLOGIAE BATAVAE DECORIBUS
ET PRAESIDIIS,

HAEC SCHEDIASMATA

GRATAE MEMORIAE ERGO

D. D.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN.

Annus jam vertitur, Viri praestantissimi, ex quo me peregrinantem et loca principum artis nostrae vestigiis consecrata visere cupientem tanta cum humanitate et benevolentia excepistis, ut ad gratias, quas Vobis coram egissem, etiam literarum testificationem palam accedere debere existimarem. Eam autem ne sero venire dicatis, lentum me nomen esse ipsum horum libellorum argumentum ostendit, quod tantum abest, ut fidem dudum a me de Persio edendo datam exsolvat, ut vix fundamenta contineat, quibus olim aedificatio superstrui posse videatur. Quanquam eorundem libellorum natura tarditatem meam, ut spero, ita excusabit, ut ultro intelligatis, quanta quamque varia laborum mole ad hunc usque diem impeditus sim, quominus communibus nostris literis plus quam momentariam certorumque temporum ac spatiorum finibus circumscriptam operam conferrem; qua ubi propediem aliqua certe ex parte levatus fuero, majora quoque, quae me amicorum indulgentiae doctique orbis exspectationi dudum debere sentio, quantum per vires licuerit, praestare studebo. Vos tamen, Viri clarissimi, in incertum longinquae spei eventum rejicere nolui, sed quem primum fructum otium ex taediosissima magistratus academici administratione recuperatum ipsiusque itineris Batavi recreatio tulit, illustribus Vestris nominibus inscripsi, ut quod faustissimis auspiciis inter nos jungi coeptum esset amicitiae et mutui studiorum commercii vinculum, mea culpa ne relaxaretur, sed aperta gratae memoriae professione etiam nova firmamenta acciperet. Ipsi vero videbitis, num in hanc quoque operam cadat, quod Tu, Geeli, aliquando nostris hominibus exprobrabas, multos scilicet repudiata grammaticorum curiositate uni-

versa genera amplecti intuerique statim cupere; quod etsi duriuscule dictum sit, hoc tamen solatii continet, ut Vos certe syllabarum aucupia et vocabulorum arrosiones, quae sola Vobis nunc offerre possum, fastidituros non esse confidam; sin vel hoc in genere aliquid levitatis aut negligentiae deprehenderitis, ne Germanicae hoc philologiae, cujus me neutiquam imaginem esse glorior, sed soli festinationi tribuatis, qua hi libelli et propter ipsam publici officii necessitudinem et propter meas quoque aliquas rationes conscribendi fuerunt. Instat enim, quod magna cum voluptate accepi, viri doctissimi mihique amicissimi, Ottonis Jahnii, editio Persii, cui et a nova multorum codicum collatione et ab Heinrichii, celeberrimi nuper apud Bonnenses professoris, commentariis insignia ornamenta accedent; his igitur subsidiis ut ipsam meam editionem communibus potius tironum quoque usibus destinatam carere nolui, ita si quid mea ipsius industria per duodecim annos adeoque ante Jahnium Persio impensa ad hujus emendationem tulisset, id ipsum quantumcunque esset, his libellis edendis apud eruditos testatum relinquere constitui. Illud nimirum lectoribus, hoc mihi deberi arbitrabar, ne aut illi desiderarent, quae aliena doctrina admonitus emendare potuissem, aut mea qualiacunque inventa illius editionis splendore obscurarentur; cui rei exsequendae quum haec ipsa scribendi opportunitas maxime idonea visa sit, ignoscendum est, si quid in opera tumultuaria praetermissum vel negligentius tractatum inveneritis; editionem, quo diutius praeparata fuerit, eo diligentiorem fore spondeo. Sed haec quoque in ambigua futuri temporis spe posita sunt; cui ne omnis prorsus fiducia desit, Vos quoque, Viri clarissimi, ut adhuc fecistis, favore et aequanimitate studia mea prosequimini. Valete.

Scr. Marburgi IIIb. Sept. a. MDCCCXLII.

I.

DISPUTATIO

DE USU ET AUCTORITATE

SCHOLIORUM

IN PERSII SATIRIS

EMENDANDIS;

SCRIPTA

INDICENDIS NATALICIIS

AUGUSTISSIMI ELECTORIS

D. XXVIII. JULII A. MDCCCXLII.



Difficultatem artis criticae plerique in ea tantum re positam esse putant, quod verba veterum scriptorum passim ita corrupta ad nos pervenerunt, ut sine emendatione ne intelligi quidem possint, idque maxime ab editore praestari cupiunt, ut quae legant bonum et probabilem sensum praebeant; alteram, quae in variis codicum lectionibus existimandis et dijudicandis cernitur, aut omnino non animadvertunt aut facili negotio expediri posse arbitrantur. Quod tamen propius inspicienti longe secus esse apparebit. Nam ut mittam, quod dudum inter omnes constat, non numerandos sed ponderandos codices esse, ne illud quidem semper contendi potest, optimam quamque sententiam et quae plurimum quasi ponderis habeat, simul etiam maxime genuinam esse, nisi alia argumenta et a scriptoris condicione et a librorum auctoritate accesserint; omnium autem gravissimum hoc est, quod haud raro singulae lectiones, sive sententiae bonitatem sive codicum commendationem spectemus, tanto inter se libramento aequiperantur, ut in pari omnium testium jure ancipites haereamus, et quum una tantum a scriptore proficisci potuerit, quam potissimum hanc esse dicamus, vix ac ne vix quidem decernere posse videamur. Atqui haec ipsa difficultas est, quam vulgo ne sentiri quidem dixi. Scilicet tralaticia verborum forma

freti ibi demum correctioni locum dant, ubi aut insignis aliqua sententiae praestantia aut summus optimorum librorum consensus aliam scripturam suadeat; de ceteris in vulgata quam dicunt lectione acquiescunt eamque tanta religione prosequuntur, ut nisi extrema necessitate urgente ab ea discedi nefas esse putent. Quod si recte fieret, magnum profecto operae compendium diva critica acciperet. At enim propius accedentes, dii boni, qualem saepe istius vulgatae originem et indolem deprehendimus? Principes editiones plerumque recentissimos codices expressisse notum est; sequebantur enim quod proxime ad manum esset, immo quod minima cum jactura typographei discriminibus objici posset; nihilo tamen minus his etiam sequentes editores innixi, ne si meliores quidem libros nacti erant, hos in illorum locum substituere audebant, sed passim tantum, si quis locus offensionem praebebat, tanquam in subsidium adhibebant, eoque pacto alius alium excipiens ex suis quisque codicibus, quos cuique optimos videri consentaneum erat, vel etiam solo pulchri sensu aliquo ducti textuum recensiones quae appellantur cumulabant, donec languescente paulatim critica facultate, ejus editio, qui postremus cum aliqua auctoritate et diligentiae aut doctrinae specie scriptoris verba conformasset, per integra saecula ad vulgatae famam laudemque perveniret [1]). Nuper demum curiosius perlustratis bibliothecis librisque vera antiquitatis nota insignibus repertis intellectum est, quam lubricum et inane vulgatae fundamentum esset, rejectoque isto pue-

1) Dignissima lectu sunt, quae de hoc argumento disputavit Herm. Sauppius epist. critica ad Godofr. Hermannum, Lips. 1841. 8, p. 33 sqq.

rorum terriculo ad genuinos fontes ita rediri coeptum est, ut aut unus aliquis codex, qui ceteros vetustate lectionumque praestantia superet, toti recensioni pro fundamento subjiciatur, aut ex eorum, qui proxime ad talem praestantiam accedant, comparatione quasi archetypi quaedam forma eruatur, qua constituta aut ipsum verum nanciscamur, aut si vel maxime cum hac auctoritate ratio pugnet, illud certe teneamus, unde omnis veri investigatio proficisci debeat [2]). Sed hoc ipso instituto quamvis spes ostendatur fore ut nunc saltem antiqua scriptorum manus quanta possit fide repraesentetur, ipsius tamen criticae factitandae condicio et fortuna insignibus difficultatibus aucta est. Quippe et illud judicium valde ambiguum est, quem potissimum ex tanta librorum copia ceteris praeferamus, et eo res devenit, ut quod pro antiquo more omnium exoptatissimum videbatur, quam plurimos unius scriptoris codices exstare, unde largissima corrigendi materia suppeteret, nunc vel eam ob causam sollicitum potius editorem reddat, quia quo frequentius librum aliquem lectitatum librariorumque manibus divulgatum esse appareat, eo maturius eum ab archetypi forma descivisse manifestum est, eoque minus spei relinquitur, inter omnes quotquot ad nos pervenerint unum inveniri, qui a communi labe incolumis manserit; immo ne familiae quidem vel stirpes quae dicuntur satis distingui poterunt, quia codices quoque, ut modo de editionibus dixi, alios ex aliis corrigi et quasi decussari generationes consentaneum erat.

2) Verba sunt Madvigii praef. ad Cicer. de Finib. p. XLI.

Quod alii fortasse melius in Horatio, Juvenale, aliis experientur; mihi in Persii satiris occurrit, in quibus illustrandis, ut nomen diu contractum aliquando dissolvam, nunc maxime desudo; quarum quum et alii editores plurimos codicum collationes exhibuerint et ipse plus quam duodecim aut meis sumtibus aut amicorum liberalitate comparatas domi habeam, nondum tamen invenire contigit, quem ita ceteris omnibus praeferrem, ut in pari reliquorum argumentorum pondere in ejus auctoritate acquiescere audeam. Non hoc dico, parem omnium codicum condicionem esse; immo sunt, qui tam manifesta depravationis indicia prae se ferant, ut ne in censum quidem venire possint, neque exiguus eorum numerus est, quorum pleraeque lectiones ad eam corruptelam referri possint, quam acute Hauthalius circa saec. XI poëtae verba invasisse animadvertit [3]); sed etiam his demtis ne antiquiores quidem meliorisve notae libri aut ita inter se concinunt, ut eorum aliquem sine cautione sequi liceat, aut tanta constantia utuntur, ut qui modo bonam lectionem praebuit, non mox ad deteriorem sectam delabatur, adeoque singulis in locis ipsi jam inter duas scripturas medii vacillant [4]); quae quum ita sint, quod ante hos decem annos non sine magna quorundam offensione dixi [5]), etiam nunc affirmo, a novorum codi-

3) Beiträge zur Geschichte, Verbesserung, Feststellung und Erklärung des Textes der Satiren des Persius, T. I, Lips. 1837. 8, p. 99. 148. 341. 450.

4) Sic antiquissimus Oxoniensis saec. IX, unde Hauthalius p. 428 plurimos nostrorum fluxisse suspicatur, identidem varias lectiones ab eadem manu suprascriptas vel correctas exhibet; cf. eundem p. 285. 324 329. 405 etc.

5) In censura edit. Plumianae in Allg. Schulzeit. 1833, p. 317 sqq. Cf. spicil. annot. ad Juven. Sat. III, Marb. 1839. 4, p. 3.

cum comparatione vix multum salutis Persio exspectandum videri. Alia quidem causa foret, si ille eo difficultatum genere laboraret, quod priore loco posui, ut ipsa sententia sine criticae ope restitui non posset; at hoc ipsum est quod illic negavi, nec quamvis ad intelligendum difficillimus sit, librariorum hoc potius quam ipsius sive culpae sive voluntati tribuendum esse vel inde apparet, quod veteribus quoque non minus obscuritatis habere visus est [6]); ex eo vero genere, quod librariorum vitio depravatum est, vix unum locum inveni, quem quum editores adhuc interpretando expedire frustra conati sint, equidem codicis potius ope cum integritate simul etiam perspicuitatem accepturum esse sperem [7]). His igitur difficultatibus, quae in sententia poëtae enucleanda cernuntur, plerumque interpretando magis quam emendando succurrendum fore dixi; de singulis autem lectionibus, quae ad sensum aut nihil aut parum discriminis afferunt, tantum abest ut critici labor minuatur, ut in tanta scripturae varietate, quantam ex innumera paene librorum

6) Cf. Jo. Laur. Lyd. de magistr. Rom. I. 41: *Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμεῖσθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν:* pluraque apud König. de satira romana, Oldenb. 1796. 8, p. 101.

7) Est in Sat. VI. 6, ubi quod vulgo legitur *egregios lusisse senes* omni commodo sensu caret, nec Bentleji emendatio ad Horat. Sat. I. 1. *egregius* ad tollendam difficultatem sufficit, si quidem *senes ludere* nec *laudes vitae senilis otio et quieti redditae*, ut Casaubonus explicat, significare potest, nec Bassum deceret, quo Hauthalius secundis curis delapsus est, *senatores Romanos ludificasse*; omnia tamen facillime expedientur, modo cum optimo codice Lugdunensi, de quo mox plura narrabo, legeris *egregius lusisse senex.* Senem enim Bassum vel ideo statuere possumus, quia ad focum sedere dicitur; tanto major autem laus est, si in corpore senili animum juvenilem ita servavit, ut vel jocis juvenes imitaretur et in ludendo a senectute nihil nisi honestatem peteret.

et scriptorum et editorum largitate prodire consentaneum est, sententiae adminiculo destitutus, haud raro quo se vertat omnino non inveniat, nisi externum aliquod fundamentum nanciscatur, in quo tuto consistere ejusque auctoritatem prae ceteris omnibus sequi liceat. Atqui hoc in Persii codicibus fere desperandum esse monui, nec recentissimos editores, qui aliquanto majorem curam huic criticae subsidio impenderunt, Achaintrium, Plumium, ipsumque adeo diligentissimum fontium exploratorem Hauthalium, ulterius processisse video, quam ut singulis in locis, prout aut numerus aut antiquitas librorum, aut aliquod denique quod ipsis videretur sententiae vel latinitatis momentum, hanc illamve lectionem commendaret, modo huic modo illi codici se addicerent, quales ipse Persius describit incerti quo pes ferret atque ex tempore viventes; quod nisi forte Ottoni Jahnio, viro eruditissimo, cujus jam nimis diu opem Persio promissam desideramus, melius in hoc genere successerit, aut acquiescendum in eclectica ratione, aut altius aliunde auxilium exspectandum erit. Neque tamen hoc ipsum nimis alte quaerendum videtur. Quamvis enim ne antiquissimi quidem codices nostri eam integritatem servasse videantur, unde rivum nondum longe a fonte suo discessisse colligamus, restant tamen alii testes, quibus etiam antiquiores codices ante oculos fuisse consentaneum sit; utque omnino notissima criticae artis lex est, qua veteres grammaticos, scholiastas, et quicunque inter antiquos scriptores alienis verbis pro testimonio usi sint, inter primaria emendationis instrumenta habere

jubemur [8]), ita Persio quoque nihil salutarius esse poterit ad antiquam carminum formam restaurandam, quam eorum locorum comparatio, qui ab antiquis adeoque medii aevi scriptoribus ex illius satiris laudati atque illustrati sunt; qui licet et ipsi per temporis decursum itidem corrumpi potuerint, tamen et minor est corruptelae suspicio in scriptore, quem minus lectitatum paucioribusque exemplis divulgatum sciamus, et si qua acciderit, ex ipso usu et consilio, quo is poëtae verba attulit, facilius deprehendi poterit. Omnium denique gratissimum contigit, quod ad ipsas Persii satiras antiqui grammatici commentarius fere perpetuus relictus est, qui et singula poëtae verba interpretationibus suis plerumque pro lemmatis praemittit, et ipsa interpretatione haud raro quid sibi lectum fuerit clarissime significat; quem postquam Joannes Bonardus sacerdos Veronensis a. 1499 primus ex tenebris eruit [9]), mox Elias Vinetus Pictavii 1563 et Petrus Pithoeus Lutetiae 1601 ex codd. Mss. ita auctum et recensitum ediderunt, ut etiamsi multum vel nunc in illo ad emendatam verborum speciem desideramus, sedulo tamen quaerenti satis bonae frugis offeratur, tantumque abest ut propter explicationes, quas interdum absurdissimas habet, ad criticum usum minus idoneus videri possit, ut quo magis in intelligendo poëta

8) Bernhardy Grundlinien der Encycl. d. Philologie p. 141 et 142: *Scholiasten sind hier theils in den oft vernachlässigten Lemmata theils in ihren Angaben und eignen Erklärungen die sichersten Gewährsmänner . . . wofern man ohne Vorurtheil in die grammatische Terminologie und die zerrissenen Fugen ihres Gedankenganges und compilirten Begriffes einzudringen weiss.* Adde Sauppium l. c. p. 50 sqq.

9) Cf. Hauthal. in A. Persii Flacci satiram primam, Lips. 1833. 8, p. XXVII.

caecutiisse deprehendatur, eo minus timendum sit, ne, quod multis recentiorum accidit, dum sententiae mederi studeret, ipsum potius scriptorem quam librariorum menda correxerit. Neque profecto aut hunc aut ceteros illos fontes docti editores neglexerunt; sed et Lampridii, Lactantii, Joannis Sarisberiensis, Guilielmi Tyrii locos, qui Persium respiciunt, dudum in commentarios retulerunt, et Servii, Prisciani, aliorumque grammaticorum testimonia sedulo in censum vocarunt [10]), commentatore autem quem dixi ita certe usi sunt, ut et lectiones ejus passim inter reliquam scripturae varietatem enotarent et ipsius suffragio locum inter antiquissimos testes concederent; at enim id ipsum, ut dicam quod sentio, nec constantia nec diligentia tanta, quanta par erat, neque eo judicio fecisse videntur, quod et gravitas testimonii et summum a vulgari codicum genere discrimen exigeret. Mitto errorem, quo imprimis Achaintrius aliquoties scholiastae ea tribuit, quae apud eum ne inveniri quidem possint [11]); sed magis et in hoc et in ceteris editoribus reprehendo

---

10) De Prisciani auctoritate Hauthalius Beiträge p 863 in secundo volumine se disputaturum esse ostendit, quod nondum prodiisse impense doleo. Ad eos vero grammaticos, qui a superioribus editoribus adhibiti sunt, nunc etiam accessit Claudius Sacerdos in Eichenfeldi et Endlicheri Anal. grammaticis, Vindob. 1837. 4. p. 52. 64. 66, ubi imprimis memorabilis est lectio *cevis* pro *ceves* Sat I 87, non tamen recipienda, quia et ipse Sacerdos verbi formam *ceveo* agnoscit et qui vel maxime tertiam conjugationem praeferunt, ut Probus Lindemanni T. 1. p. 139, Persium tamen futuro tempore *ceves* posuisse narrant.

11) Sic ad V. 81 scribit: *s u m restitui ex omnibus codd. Vet. schol. et post hunc recentiores s i m*, cujus lectionis apud scholiastam nec vola nec vestigium apparet. Similis error est IV. 81, ubi *farrata olla* in *vet schol* legi perperam narrat, jam ad Hauthalio p. 262 eo nomine notatus; idem tamen quod p 248 merito Achaintrio exprobrat *die Lesart, welche der alten sprichwörtlichen Cornutusglosse vorgesetzt ist, muss man nicht, wie*

negligentiam, qua hinc inde veteres commentarios inspexisse contenti antiquissimo testi ne id quidem dederunt, quod futilissimo codici concedi solet, ut omnes ejus lectiones, quaecunque aut ex lemmate aut ex ipsa interpretatione intelligantur, accurate indagarent, neque Hauthalius, quanquam in hoc genere, quatenus libri consilium ferebat, reliquis diligentior fuit, magnamque scholiastae utilitatem debito testimonio agnovit [12]), in ipsa tamen crisi exercenda tantum ei ponderis tribuit, quantum equidem, non praejudicata opinione ductus, sed usu edoctus atque expertus merito deberi arbitror. Id vero ne temere existimare videar, faustissima publice disserendi occasione redeunte ita utar, ut in tanta codicum editionumque farragine, qua lectores passim conturbari magis quam adjuvari consentaneum sit, veterem scholiastam tanquam ducem atque antesignanum esse probem, ad cujus auctoritatem quasi normam aliquam reliquarum lectionum antiquitatem et fidem tutissimo exigamus; quod quum et externis et internis argumentis demonstrari velit, primum quidem de persona ipsius pauca praemonebo, deinde vero plerasque ejus

Achaintre sich zweideutig ausdrückt, *dem* *vet. schol.* *sondern nur dem* *Pithou zuzuschreiben*, *welcher natürlich nur das*, *was er in seiner Ausgabe hatte*, *der Glosse vorsetzte*, ipse commisit p. 229, ubi *hoc magni* omnes commentatores a Cornuto inde habere tradit. Scilicet hoc quoque in lemmate tantum legitur, quo ex editoris textu irrepsit; in nostris codd. claris literis *o magni* perscriptum exstat.

12) Beiträge p. 266: *wie misstrauisch man gegen die Texte der Glossatoren seyn müsse, werde ich mir angelegen seyn lassen in meinen Ausgaben darzuthun; aber es ist doch nicht zu läugnen, dass auch da, wo sie Falsches in der Erklärung bieten, doch Keime der Wahrheit, besonders der wahren Textgestalt der Schriftsteller liegen, die sie commentiren oder anführen.*

lectiones vel communibus criticae artis legibus ita commendari ostendam, ut nisi etiam antiquius testimonium vel summa sententiae necessitas obstiterit, optimi codicis instar habendus sit.

De aetate igitur hominis Cornutum quidem vel si quem alium certum grammaticum docti commenti auctorem venditarunt, facile relinquo; antiquum tamen esse librisque nostris omnibus, si a palimpsesto Hauthalii discesseris, de quo non liquet, antiquiorem satis probabiliter demonstrari poterit. Cornutum qui defendat post Casp. Barthium neminem amplius fore arbitror 13); qui etsi grammaticum, qui passim fertur 14), a philosopho Persii magistro discernit, tamen et hoc ipsum discrimen satis ambiguum est 15), nec si vel maxime di-

13) Barth. advers. VII. 16: *eo nomine grammaticum istum agnoscunt membranae veteres Eliae Vineti et aliorum; cur vero docti tantopere id nomen aversentur, sane nescio; auctor merito suo minoris nobis esse non debet quam quivis vetus exegetes*; cf. XI. 27: *quod autem Cornutum membranae eum satis uberem et prolixum Persii interpretem dicant, in eo non sane video cur nobis dubitandum sit* etc. eundemque ad Claudian. p. 129.

14) De Cornuto grammatico, qui Virgilii maxime interpretatione inclaruit, cf. Augustin. de util. credendi c. 17: *Asper, Cornutus, Donatus, et alii requirentur, ut quilibet poëta possit intelligi*, pluraque apud Suringar. hist. crit. scholiast. lat. T. II, p. 116—121, cujus exemplis ea quoque accedant, quae Placidus in glossis s. v. *ingluviem* et *magmentem* ex Cornuto attulit.

15) Eundem censet Ger. Joa. de Martini in docta disputatione de L. Annaeo Cornuto philosopho stoico, L. B. 1825. 8, p. 19—24, cujus judicio eo pronius accedo, quia utrique etiam Annaei nomen commune est. Nam si Cornutum tantum legeremus, ipse Martinius multos ejus nominis homines diversissimis gentibus oriundos enumerat; Annaei autem nomen, nisi egregie fallor, ejusdem gentis, in qua Seneca et Lucanus fuerunt, libertum significat, quales duos eodem cognomine fuisse vix credibile est. Atque hac in re etiam a Martinio discedo, qui nescio quomodo Leptitanum hominem a Romanis parentibus originem duxisse censet, quia cognitum et celebre Romae fuerit Cornutorum nomen et familia, Phurnutum vero, quo nomine in fronte libri de natura deorum apud Galeum

versi fuerint, grammaticus, quem jam Gellius ad superiorem aetatem rejicit [16]), primi post Christum natum saeculi fines multum superasse potest; immo si Charisium audimus, commentariorum Virgilianorum librum Silio Italico inscripserat [17]), quem circa annum 100 p. Chr. voluntaria morte decessisse satis constat [18]). Hoc autem tempore scribi non poterant, quae legimus ad Sat. I. 29: *apud antiquos criniti erant adolescentes usque ad certam aetatem*; ad I. 42: *mos apud veteres erat, ut chartae, in quibus nobilia carmina scribebantur, oleo cedrino inungerentur*; ad I. 58: *pilo enim apud veteres frumenta tundebantur*; ad I. 62: *antiqui ita fores templorum vel aedium] dixerunt anticas et posticas*; ad I. 89: *apud veteres naufragia passi tabulam qua fuerant liberati pingebant*; ad II. 59: *quas postea Romani deauraverunt* etc.; utque concedam praeteriti temporis significationem, quae passim exstat, posterius inferri potuisse, si quidem eadem vi etiam praesens invenitur [19]), eum tamen, cujus juventus certe Persii aetatem vidisset,

---

Opuscc. mythol. p. 139 appellatur, scripturae vitio tribuit; ego vero nullus dubito, quin nativo nomine Phurnutus fuerit ac Romam demum translatus atque manu missus Latini cognominis formam asciverit; Phurnuti certe radicem prorsus Africanam esse oppidorum nomina, quae in Numidia audimus, satis probabiliter suadent.

16) Noct. Att. II. 6.

17) Inst. gramm. I. 21. 62: *Annaeus Cornutus ad Italicum de Virgilio libro decimo.*

18) Plin. Epist. III. 7.

19) Sic ad I. 113 primum legimus: *pueris ne in loco sacro micturiant, anguium pictura terrori est;* mox autem: *mos erat ut tabernarii . . pingerent duos angues;* item ad I. 127: *crepidis Graeci a se repertis usi sunt,* deinde vero: *crepidas caligulas, quibus utuntur philosophi;* neque aliter ad II. 27: *in usu fuit, ut augures vel aruspices . . fulmina absconderent, cujus impetratione rei oves immolabantur,* nihiloque minus paulo post: *cetera*

neque illud ignorare consentaneum erat, cujus essent versus Sat. I. 94 sqq. reprehensi [20]), nec de Caesii Bassi exitio ad Sat. VI. 1 soli famae confidere; postremo vel Christianum redolere videtur quod legimus ad Sat. III. 84: *mundus de nihilo factus est et in nihilum redigitur.* Illud tantum concedi potest, ut Virgilium ita Persium quoque mature commentario a Cornuto illustratum esse, unde factum est, ut eodem modo, quo in Donati ad Terentium scholiis accidit [21]), principis enarratoris nomen etiam posteriorum conamina complecteretur suaque claritate illorum operam simul et praestingueret et illustraret [22]); sed quos nunc habemus alios esse iisdem argumentis intelligimus, quibus omnino de Cornuti aliquo commento constat. Quamvis enim in editis ibi tantum Cornuti nomen legamus, ubi Persius ipsum in satira quinta alloquitur, ipse tamen Barthius veteres glossas reperit, ubi Cornuto tribuuntur, quae ipse fateatur in scholiis ejus nomine vulgatis non exstare [23]); in libris autem commenti nostri manu

---

autem fulgura qualibet hostia procurantur, quae ex antiquiore scriptore ipsius verbis translata esse apparet

20) P. 18: *non autem sunt Persii sed poëtae nescio cujus graecissantis* etc. Quod eo magis mirum est, quo certius v. 99 sqq. Neroni tribuit; an recte Meisterus illos ab hoc adjudicavit?

21) Grauert. histor. philol. Analekten p. 121: *jeder weiss, dass der sogenannte Donat nichts ist als eine buntscheckige farrago von Glossen der verschiedensten Verfasser* etc. Cf. Schopen de Terentio et Donato ejus interprete, Bonn. 1821. 8, p. 46 sqq.

22) Recte sic jam Elias Vinetus: *sic non magis unius Cornuti videtur quod publicamus in Persium commentarium, quam unius Donati, quod Donati nomine prostat in Terentium* etc.

23) Advers. LVI. 2: *chaere salve: Cornutus scribit Caesarem habuisse psittacum ipsi crebro hoc iterantem.*

scriptis ipsius Cornuti explicatio aliqua ita commemoratur, ut alium esse commentatorem clarissime appareat. Nam ut hoc statim moneam, non eo tantum exemplari omnis haec mea disputatio nititur, quod Pithoei cura editum plerisque editoribus solum ante oculos fuit, sed codices quoque manu scriptos domi habeo duos, alterum, cujus usum insignis mihi Jacobi Geelii, Batavarum literarum decoris, liberalitas concessit, Lugdunensem, ipsa poëtae verba cum commento complexum, membranaceum saeculi, ne nimium dicam, duodecimi, cujus etsi jam olim lectiones Petrus Burmannus cum J. J. Breitingero Turicensi communicavit 24), editorum tamen nullus notitiam habuisse videtur; alter autem itidem membranaceus neque aetate minor solum scholiastam continet, quem vel Augustanum vel Norimbergensem appellare licet, si quidem ex monasterio sancti Udalrici ad Joachimum Meyerum gymnasii Norimbergensis professorem pervenit, qui rara cum humanitate usum ejus ultro mihi obtulit. Horum vero uterque ad Sat. I. 16:

et natalicia tandem cum sardonyche albus,

ubi in Pithoei editione hoc scholion legimus: *albus aut festiva veste indutus aut cogitandi pallore confectus* [*vel veste candida, nondum purpureum adeptus vestimentum, quod laticlavium dicitur*], priorem quidem hujus partem, quam uncinarum Pithoëanarum absentia cum editione principe communem significat, iisdem verbis exhibet, universi autem loci a v. 13 usque ad v. 22 aliam

24) Cf. Schelhorn. Amoen. liter. T. X, p. 1112.

explicationem praemittit, in qua ad illam vocem haec annotantur: *albus aut pallidus pavore recitandi aut labore scribendi aut ut ait Cornutus veste candida;* quae ut verisimillimum est ab aliis omissa esse, qui recte quidem intelligerent in commentario, quem a Cornuto scriptum putarent, non posse ipsius sententiam tanquam alienam inter alias extremo tantum loco referri, ita maxime memorabilia sunt in libris quorum alter certe — Norimbergensis enim et prima et extrema pagina caret — claris verbis in fine adscriptum habet: *explicit commentum Cornuti!* Illum igitur, ut dixi, ita tantum admitto, ut posteriores interpretes plus minusve ex illius doctrinae copiis hausisse largiar; nec quod alii vel de Helenio Acrone Horatii interprete [25]) vel de Valerio Probo vitae scriptore somniarunt [26]), idoneis argumentis firmatur [27]); sed ut vel Acrone junior

---

25) Cf. Ernst. var. observ. I. 7 in Ottonis Thes. jur. rom. T. V, p. 1130: *reperi praeterea Mediolani in bibliotheca Ambrosiana codicem antiquissimum calamo exaratum . . in quo ita scriptum erat:* Acron in Persium. *Idem erat liber, qui Cornuto alias adscribitur. Faveo, ut verum dicam, huic sententiae, cum ob antiqui codicis auctoritatem, tum ob affinitatem sermonis cum aliis, quorum Acron auctor dicitur.*

26) Cf. Vinet. ad calcem Cornuti p. 74: *me namque non fugit, quae exstant in Persium et Juvenalem vetusta commentaria, Hermolao Barbaro, Georgio Vallae, Antonio Mancinello, et quibusdam aliis placuisse Probi esse, non Cornuti cujusquam* etc.

27) Probi defensoribus idem fraudi fuisse videtur, quod Breitingero apud Schelhorn. l. c. p. 1107 et 1143, qui ex vitae antiquae verbis: *hunc ipsum librum imperfectum reliquit*, pro certo sibi colligere visus est, vitae et scholiorum scriptorem eundem fuisse; sed ut mittam ipsam quaestionem de Probo vitae auctore etiam nunc valde ambiguam esse (cf. Osanni Beiträge zur gr. u. röm. Liter. Gesch. T. II, p. 167), vel illa Lugdunensis codicis praescriptio, qua tantopere gloriatur, *sublatam* potius *de commentario Probi Valerii* testatur; quo facto veri simillimum est eum, qui vitam ex Probi commentariis sublatam scholiis praefixit, sive ipse scholiasta sive alius is fuit, etiam verba illa ad praesens consilium transformasse.

fuerit, antiquitatem tamen hominis vel ea comprobant, quae inferiori aetati adscribendum esse liquidissime demonstrant. Nec desunt quae ipsum tempus antiquis moribus proximum declarare videantur, ut v. c. ad prol. v. 8: *nam hodieque videmus psittacos esurientes vocali sono strepere et* χαῖρε *dicere;* ad I. 130: *ex Aretio municipio, ubi fiunt Aretina vasa;* ad II. 36: *Licinium . . cujus monumentum est pretiosi operis, sepultus via Salaria prope urbem ad lapidem secundum;* ad II. 42: *tuceta apud Gallos Cisalpinos dicitur caro condimentis quibusdam crassis oblita;* ad IV. 13: *judices literam theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt;* ad IV. 26: *unde Juno Curitis dicitur, quia ibi vehementer colitur* etc.; sin vel maxime haec ex antiquiore interprete caece translata dixeris, restant alia, quibus ipsum temporum discrimen ita describitur, ut etiam inferioris aetatis scholiastam antiquae vitae rudera vidisse intelligamus. Quo ex genere omnium gravissime nos advertit scholion ad Sat. III. 29: *cognitio enim equitum Romanorum Censoribus erat subjecta, quae nunc Consulum est officii;* neque alienum est quod legimus ad I. 72: *Palilia, quae nunc mutatis literis Parilia dicimus;* ipsa denique rusticitatis vestigia, quae hinc inde occurrunt, scriptorem vix infra eam aetatem deprimi patiuntur, quam Placidi glossae aliaeque ferrei saeculi reliquiae sibi vindicant. Justiniano antiquiorem declarat Consulum mentio, qui ab hujus inde imperatoris tempore nulli amplius fuerunt [28]); sed vel ad Gratiani Valentinianorumque aetatem remit-

28) Cf. Pagi dissert. hypat. ad a. 541.

timur equitum Romanorum commemoratione, quorum extrema vestigia quarto post Chr. saeculo exeunte vel ineunte quinto offeruntur [29]); utque nec altius ascendi posse concedam, si quidem priori tempore nec Censorum munus prorsus evanuisse [30]) et ab imperatoribus censoria potestate utentibus equitum recognitionem certis hominibus ex familiarium numero commissam esse legimus [31]), ad eam ipsam aetatem grammatici conducunt, quos pariter ac nostrum *Parilium* vocabulum pristinae formae praetulisse cognoscimus [32]). Eadem vero Placidi causa est, quem quum et ipsum Censuram ex antiquitatibus tantum nosse declaret glossa: *Censoris apud veteres Romanos magnum erat nomen et dignitas, id est judicis tam patrimoniorum quam morum*; vivo tamen Latini sermonis usu neutiquam caruisse cognoscimus ex aliis, quales hae sunt: *harenam ut hasas*

29) Cf. Marquardt hist. equ. Roman. Berol. 1840. 4, p. 98.

30) Dio quidem LIII. 18 nomen ejus in desuetudinem venisse narrat; rem tamen mansisse declarant quae addit: *τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἔχοντες οὔτε αἱροῦνται ἐπ' αὐτὴν οὔτε τὴν πρόσκλησιν αὐτῆς πλὴν ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς κτῶνται*: adeoque post illum apud Trebell. Poll. V. Valerian. c. 2 censurae instaurandae conamen offendimus, ubi hoc quoque inter ejus munera commemoratur: *tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges*; cf. Jarke Darstellung des censorischen Strafrechts der Römer, Bonn 1824. 8, p. 123 sqq.

31) Marquardt l. c. p. 94: *sub Caracalla fuit Οὔλπιος Ἰουλιανὸς ὁ τότε τὰς τιμήσεις ἐγκεχειρισμένος: sub Heligobalo saltator quidem census senatorum equitumque praepositus . . . sub Constantino senatorum census penes praefectum urbi, equitum penes praefectum vigilum fuit.*

32) Marius Victor. p. 2470 ed. Putsch.: *Parilia dicuntur, non Palilia; non a Pale dea, sed quod eo tempore omnia sata arboresque et herbae parturiunt pariuntque;* itemque Probus ad Virgil. Georg. III. 1: *Pales dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia transposita litera, quae si suo loco esset, Palilia potius dicerentur,* contra quam apud Varronem est L. L. VI. 3, p. 198, nec Charisius I. 17. 14 eam formam, quamvis norit, probat; cf. Heinsius ad Ovid. Fast. IV. 721.

nas, anas et lasas, quos nos lares dicimus, vel: *forca quam nunc fallicium appellamus*[33]); utque idem rustici sermonis vocabula ad explicationem adhibet, v. c. *bipennem bis acutum; pennum enim acutum dicimus*[34]), vel *cabonem equum castratum, quem caballum nos dicimus*, ita nec noster, si quid vocabuli praeter classici sermonis consuetudinem offert, inferiorem hoc aetatem significabit quam eam, qua talia ex vivo plebis rusticae usu etiam in cultiorum hominum ora ita redierunt, ut mox nova inde sermonis rudimenta proficisci possent. Quanquam nonnulla certe, quae quis ad hoc genus revocare possit, a nostris codd. prorsus absunt, ut posterius demum inserta videantur, velut illud, quod omnino vix exstiturum puto qui commode explicet, ad Sat. I. 20: *nam titi columbae sunt agrestes, quibus rustici auditores designantur:* aut ad Sat. IV. 49: *vel vibicem dicimus genus arboris lentae, quod vulgus biduvium vocat*, cujus auctoritatem posteriora demum saecula exhibent[35]); nec

33) Placidi aetatem citra saec. VI. proferri non posse vel inde apparet, quod Isidorus ejus glossas ante oculos habuisse videtur; cf. Maji Auctt. class. e codd. Vatt. T. VI. p. 558.

34) *Pennum* enim pro *acuto* antiqui sermonis vocabulum esse colligimus ex Quinctil. I. 4. 12, quem Döderlinus lat. Synon. u. Etymol. T. V, p. 296 ex codd. vestigiis ita scripsisse intellexit: *a pinno, quod est acutum, securis utrinque habens aciem bipennis, ne illorum sequatur errorem, qui quia a pennis duabus hoc esse nomen existimant, pennas avium dici volunt.*

35) *Bidubium* certe Vita S. Leufredi apud Ducangium T. I, p. 677 ed. Henschel, *rusticos ferramentum vocare* narrat, idemque apud eundem cum *fuste* et *securi* inter instrumenta memoratur, quibus aliquis interfici possit. Dubites quidem, quomodo tale instrumentum *genus arboris lentae* dici possit; sed quum nec *vibicem* arborem norimus Persiusque puteal multa vibice *flagellari* dicat, haud scio an *arboris* potius vocabulum corruptum sit.

quod Pithoeus ad l. 15 edidit: *barbitondium est tonsurae genus, quo juvenes tondentur, unde sic tonsi pexibarbi vocantur*, vocabulum ex obscuro tantum Juvenalis glossatore notum [36]) a nostris codd. confirmatur, qui pro *barbitondio* claris literis *barbam* tantum exhibent; at unum saltem restat satis memorabile scholion ad l. 76, quod quum Pithoeus ita ediderit: *est autem Brisaeus Liber pater cognominatus, vel ut quibusdam videtur, a mellis usu, eo quod ipse primum invenisse dicatur mel et ex favis exprimere — b r i s enim jocundum dicimus, ut etiam Briseida existimant dictam, quod Achilli jocunda fuerit — vel certe, ut aliis videtur, ab uva, quod uvam invenerit et expresserit pedibus; b r i s a r e enim dicimus exprimere;* nostri quoque ita tantum variant, ut pro *vel* ante *ut quibusdam* scribant *sive*, pro *bris enim* uno vocabulo *brisin*, pro *briseida* autem *briseidam* et pro *dicimus* in extrema sententia *dicitur*, quo pacto vocabulorum paene unicorum auctoritas satis firme stabiliri videtur. Neque tamen vel haec barbarum aut peregrinum scriptorem produnt. Primum enim *brisare* ipsius antiqui sermonis rustici verbum fuisse probabiliter colligimus ex substantivo *brisa* apud Columellam [37]), quod quum uvas expressas sive vinaceorum reliquias declarare manifestum sit, jam Gesnerus docte ab eadem radice derivat, quam Gallicum vocabulum *briser* prae se fert, fere ut *fraces* h. e. oleae expressae ab eo quod est *frangere* dictae

36) Cf. Crameri comm. vetust. p. 589.

37) R. R. XII. 39. 2: *subactam brisam prelo subjicere passumque secundarium statim vasis oblitis includere* etc.

sunt; nec Schneideri fastidium moror, qui quod Gesnerum ineptiarum insimulans ad Graecorum nos *βρύτεα* revocat, quorum ipsorum radix in vulgari sermone Graeco non apparet, illud tantum dicere poterat, utriusque vocabuli et Graeci et Latini communem aliquam originem fuisse, cujus tamen haud scio an ipse Italorum sermo rusticus puriora vestigia servarit. Ac verum quidem utriusque fontem Doederlini acumen indagavit in Graeco *βρίθω*, quod etsi plerumque *gravare* significat, ipsam tamen ponderis notionem cum premendi et frangendi verbis communem habet [38]), eamque sententiam mirum in modum confirmat Will. Brito in Vocabulario Msto apud Ducangium his verbis: *brisca favus, unde mel elicitur; a brisin, quod est exprimere vel elicere* [39]); eadem vero glossa alteri scholii nostri parti, quae etiam insolentiorem speciem gerit, eam lucem afferet, ut ne ipsum quidem a vivae quamvis ferreae latinitatis indole abhorrere videatur. Nam si posteriorum saeculorum sermo *briscam* pro favo dicebat, quia inde mel exprimitur, ipsam *brisam* apud rusticos Romanos eandem significationem habuisse verisimile est eodem modo, quo apud Graecos *βρύτεα* et *στέμφυλα*, quum olim uvarum alterum, alterum olearum fraces significasset, posterius promiscue usurpari coepta sunt [40]); hinc autem ductum adjectivum *briseum* facili metonymia in *mellei* significationem transire poterat,

38) Lat. Synon. u. Etymol. T. VI, p. 42: *Brisa Weintrestern, buchst. Particip von βρίθω, βρισάρματος, breiten, d. h. breitdrücken und ausdrücken; sachl. βρύτεα.*

39) Glossar. T. I, p. 778 ed. Henschel.

40) Athen. II. 47: *Ἀθηναῖοι δὲ τὰς τετριμμένας ἐλάας στέμφυλα ἐκάλουν, βρύτεα δὲ τὰ ὑφ' ἡμῶν στέμφυλα, τὰ ἐκπιέσματα τῆς σταφυλῆς.*

quem in sensum etiam additamenta ad Ducangium ex Annal. Bene-ned. locum exhibent: *hinc se convertens litera brisca (leg. brisea) fruitur*, quumque nostri grammatici sententia quamvis inepta haec sit, ut *Briseis* Homerica a jucunditate sua nomen acceperit, non dubito quin antea quoque plenis literis ita scripserit: *briseum enim jucundum dicimus.*

Quamvis igitur hominem et ferrei saeculi scriptorem et Christianae religioni addictum 41) fuisse largiamur, tamen et Italum natione et eorum temporum participem cognoscimus, quae et probatos fontes adire et antiqui moris pariter ac sermonis vestigia coram nosse potuerint 42); quod si illud saltem assequi contigerit, ut quid ille et apud poëtam suum legerit et ad eum explicandum scripserit, cum aliqua probabilitate efficiamus, vix Servii aut Prisciani testimonia antiquiora haberi possint. Qua in causa illud sane dolendum est, quod tam corrupta hujus commenti forma ad nos pervenit, ut interdum vix sententia scholiastae intelligi possit 43), neque meorum codicum in iis, quae ex librariorum doctrina aut dili-

---

41) Pithoeus quidem Christianum scriptorem fuisse negat propter ea quae ad Sat. V. 184 leguntur: *de superstitionibus tractat, ostendens etiam qui superstitionibus deditus sit servire*, et mox: *instituta Judaeorum significat propter circumcisionem, quam auctores suos secuti faciunt*; at haec opinor vel a Judaeo scribi potuerunt, qui sententiam tantum pagani poëtae enarrare vellet.

42) Eodem redit et Pithoei et quamvis minus honorifica Breitingeri sententia apud Schelhorn. l. c. p. 1112: *qui enim rationem eorum praesentem perspectam habet, facile is intelligit, ex priscis grammaticorum commentariis ea esse constipata a magistris scholasticis temporibus jam lapsae vel in casum praecipitis Romanae aevitatis* etc.

43) Vinetus in praefatione: *qui autem hujus Persiani commentarii meminerunt Hermolaus Barbarus, Baptista Plautius, Lilius Ferrariensis, ac alii horum aequales . . . nescio quam bona habuerint exemplaria; sed nostris scio nihil inveniri posse corruptius.*

genitia pendent, meliorem indolem praestare licet; neque tamen desperandum est fore ut et pluribus codicibus inter se collatis ad majorem integritatem perveniamus, et aliquid certe bonae frugis etiam ex meis rediturum esse arbitror. Primum enim, quod maximum est in hoc argumento, interpolationes certe, quibus posteriori tempore interpositis genuina scriptoris oratio deturpata est, horum ope et superius jam deprehensae sunt, et aliae praeterea facili negotio investigari poterunt; deinde vero lemmata, quibus ipsa poëtae verba praefixa continentur, insignes varietates exhibent, unde haud scio an multis in locis librariorum editorumve fraudes intelligantur, qui ea, quae suis in libris legissent vel ipsi in ordinem recipienda duxissent, scholiastae quoque tanquam ab illo lecta obtruserunt 44). Atque hoc in genere plurimum tribuo Norimbergensi meo, qui quum solum commentum sine poëtae verbis contineat, multo minorem suspicionem praebet, ne lemmata ad horum potius similitudinem redegerit, quam ingenua fide ex antiquo exemplari describere sustinuerit; neque tamen etiam Lugdunensem spernere licebit, qui etsi hinc inde re vera lemmata secundum eam lectionem, quam in ipsis poëtae verbis secutus est, deformasse videtur 45), sicubi diversum

44) Cf. sup. not. 11 et alium Haunthalii locum p. 77, quanquam ipsa quae illic scripsit: *relinquo . . ist als Glossem in den so unsicheren Commentartext des Cornutus . . . übergegangen*, non prorsus intelligo: mihi certe neque in editis neque in scriptis scholiastae exemplaribus ea lectio oblata est.

45) Sic, ut ea tantum enotem, quae quum solus ille habeat, non aliunde in eum transiisse videri possint, Prol. v. 1 cum ipso contextu scripsit *pollui* pro *prolui*, Sat. I. 97 *praegrandi* pro *vegrandi*, Sat. III. 108 *attende* pro *attinge*, Sat. V. 17 *dicis* pro *dicas*, ibid. v. 26 *depremere* pro *deposcere* et v. 36 *seposui* pro *supposui*, denique Sat. VI. 66 *pone* pro *repone*.

in scholiis lemma ab ipsa contextus lectione praebet, tanto majore auctoritate dignus habendus erit. Ne quis autem totam hanc operam ea re vanam atque irritam reddi arguat, quod ipsi superius variorum hominum temporumque commentaria Donati Terentiani instar ad hanc farraginem confluxisse diximus, eam certe collectionem, quam nos tenemus, unius hominis industriae deberi vel illud comprobat, quod in tot diversissimarum regionum bibliothecis eodem fere tenore conscripta exstat; quod etsi concedimus illum, quisquis fuerit, et ex antiquioribus grammaticis multa ipsorum interdum verbis servatis in suum usum convertisse et posterius alienis glossis interjectis passim depravatum esse, hoc saltem tuemur, unam aliquam formam animis nostris proponi et posse et debere, qua is et Persii verba legerit et ipse commentum suum ad illum composuerit. Et de commenti quidem verbis amplius non loquor, quod sive ipse aliquando recensuero, sive Hauthalius editionem diu promissam absolverit, experiemur num hujus quoque integritati aut perspicuitati aliquanto plus quam adhuc factum est consulere liceat; satirarum vero pristinae formae eruendae duplex vel ex ipso quale nunc tenemus commento subsidium peti poterit. Nam et lemmata quae dixi, si quidem ab ipso vetere interprete praefixa statuimus, eam verborum formam referunt, quam illius aetate fuisse consentaneum sit, et si vel haec suspicionem moveant, ne a posterioribus librariis aut editoribus ad deteriorum recensionum similitudinem mutata sint, ipsae explicationes restant, unde quid interpreti lectum sit, facili negotio colligamus; quo ubi jam novorum codicum auxilia

accesserint, non vereor ne nimium dixisse videar, si et largissimum et certissimum lectionis constituendae fontem in his ipsis scholiis, modo recte et cum judicio adhibeantur, inesse contendo. Atqui recti usus ea maxime ratio erit, ut ante omnia eliminentur quaecunque aut librorum dissensus aut aliquod certum argumentum a posteriore interpolatione vel correctione originem habere suadeat; talium enim ea tantum auctoritas esse potest, quae cum codicis aetate vel reliqua correctoris condicione conjuncta est; hoc autem facto quidquid restat, sive ex Cornuti aliorumque commentariis in nostrum transiit, ipsius poëtae aetatem aut aequabit aut exiguo tantum intervallo tanget, sive ab ipso scholiorum coactore profectum est, illud certe probabiliter demonstrasse mihi videor, hujus quoque aetatem omnes quotquot praeterea exstant codices Mstos longe superare. Non equidem is sum, qui etiam tum omnia poëtae verba sarta tecta fuisse credam, nec facile concedam etiam scholiastae tempore pravas lectiones in exemplaribus haerere potuisse; immo docet hoc et ipsius testimonium, ut qui identidem varias lectiones in ipso commentario commemoret, et aliorum grammaticorum auctoritas, quos aliam scripturam ante oculos habuisse videmus; verum tamen et illud satis fuerit assecutos esse, quod etiam F. A. Wolfius in Homero recensendo sibi proposuerat, ut talem poëtam legamus, qualem ipsius antiquitatis grammatici habuisse videantur, et magnopere certe minuetur difficultas, quam supra exposui, critica, si in ceteris omnibus scholiasta pro fundamento posito, de iis tantum locis ambigamus, in quibus jam quinti sextive saeculi doctores in diversas partes ab-

iisse constet. Neque adeo horum omnium ea condicio est, ut quamvis antiqua varietas sit, Persius tamen quid scripserit, nec nos decernere veteremque litem idoneis argumentis dirimere possimus. Sic, ut hoc utar, prol. v. 14 ad *Pegaseïum nectar* annotatum est in aliis esse *melos*, eaque lectio etiam codicum editionumque numero haud exiguo ad nostra usque tempora propagata est; vix tamen arbitror etiam nunc quemquam fore, quin unice recte *nectar* legi videat, alteram vero lectionem, cujus prosodia nullo artificio cum metri legibus conciliari potest [46], glossemati originem debere intelligat [47], quod sive ab erudita antiquitatis affectione [48] sive a *mellis* vocabulo nectari explicando addito repetamus [49], hoc certe apparet, quum alterutrum ex glossemate ortum esse necesse sit, omnino cogitari non posse, quomodo *melos*, si vel maxime a poëta scriptum esset, *nectaris* potius quam *carminis* similisve vocabuli

---

46) Fuit quidem qui subsidium peteret ab Homerico hymno in Mercur 501, ubi in codd. est: *θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄεισε*, scilicet ut accentu vel liquidae duplicatione syllabam produci posse probaret; at illic dudum repositum est: *θεὸς δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε*, cui *μέλος* explendae tantum ellipsis gratia appositum fuisse apparet.

47) Sic etiam in Ebneriano Sebaldi, cujus ipsius usum mihi Meyeri, penes quem nunc est, insignis liberalitas concessit. verbo *nectar*, cui praeclarum inde testimonium jam superiores editores petierunt, pro glossemate tamen itidem suprascriptum est *i. melos*.

48) *Melos* enim jam antiquissimos sermonis Latini auctores pro carmine dixisse ostendunt exempla apud Nonium p. 213.

49) Pristinam hanc meam suspicionem, qua *melos* ex suprascripto *mel* ortum arbitrabar, Hauthalii quoque suffragio comprobari impense laetor. *Nectar* pro ipso *melle* dictum esse videmus et Virgil Georg. IV. 164 et Calpurn. ecl. IV 151; pro carmine autem, quod dulcedine sua divini fontis originem testetur, manifesta imitatione etiam Martianus Capella dixit l. IX §. 908: *post hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaseae vocis nectare diffluebat*. Adde Barth. advers. XXIV. 17 et Wakefield. ad Lucret. I. 946 et IV. 22.

explicationem acceperit. Difficilius judicium fuerit de lectione *refulgeat*, quae in nostris quoque pariter ut in Hauthalii libris non pro glossa sed pro varietate ad prol. v. 12 *refulserit* adscripta est [50]), neque aliorum bonae notae codicum, ut Ebneriani apud Sebaldum et antiqui, cujus collatione utor, Trevirensis suffragio caret; in scholiastae tamen codice quid scriptum fuerit, lemma et hic prodit et ejusdem prologi v. 8, ubi pro *conari* etiam *blandiri* legi adscripsit, eamque auctoritatem cum Hauthalio eo magis sequendam duxi, quo pronior suspicio est, ne tales varietates, quae omni explicatione carent, aut posterius intrusae aut ipsi adeo scholiastae minus ponderis habere visae sint. Vere antiqua ibi tantum varietas haberi poterit, ubi aut ipse scholiasta utramque lectionem explicat, ut Sat. V. 19 *pullatis* et *bullatis*, ibid. v. 58 *putris* et *putrit*, aut alius vetus testis aliam enotavit, ut Sat. II. 14 *ducitur* et *conditur*, ibid. v. 61 *terris* et *terras;* sed ne illic quidem judicandi facultate adeo destituimur, ut parem utriusque vel auctoritatem vel reliquam a sermone aut sententia commendationem habere cogamur; quanquam tum etiam a scholiastae scriptura discessisse religioni non habemus. Sic II. 14 quamvis Lugdunensis noster claris verbis *conditur*, Norimbergensis facili corruptela *conceditur* in lemmate habeat, ipsaeque explicationes: *Nerius quidam morte conjugum locupletatus*, et: *nobilitatus conjuges tumulando*, ad exsequias potius quam ad

50) Hauthal. p. 86: *refulgeat erscheint in den ältern und jüngeren Ausgaben des Cornutus als Glosse von refulserit, obwohl es in den ältern Handschriften desselben durch die Zusätze et oder vel als Variante aufgeführt wird.*

novas nuptias spectent, cum plerisque tamen recentioribus Servii testimonium praeferimus, quem *ducitur* legisse ipsius scholion ad Virg. Georg. IV. 256 docet. Quidquid enim ad alterius lectionis commendationem dici potest, nec nostrae repugnat, si quidem is tantum tertiam uxorem ducere potest, qui duas priores condidit, praetereaque accedit novae dotis spes, quam tertia ducenda nanciscitur; sin tantae varietatis originem requirimus, multo probabilior suspicio est *conditur* ex correctura vel glossemate prodiisse, sive Martialis versum X. 43 recordemur:

septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro,

unde doctus lector Persium emendandum duxerit, sive ad pravam illam interpretationem redeamus, qua ipse Servius id quod legit *ducitur* ad exsequias et funebrem pompam transtulit; quo facto et *conditur* intelligimus quomodo illustrandae *ducendi* ambiguitatis causa adscribi potuerit, et illud patrocinium dilabitur, quod huic lectioni ex scholiastae explicatione ostendebatur. Nec II. 61 dubito quin Lactantii auctoritas Institt. divin. II. 2. 18, qui *terras* legit, propter ipsam testimonii antiquitatem cum Britannico et Dübnero omnibus et scholiastae et codicum ablativis praeferenda sit; cui quod opponit Hauthalius *curvum* non ut *pronum* ad certam rem referri posse, verbi certe, cujus eadem vis est, simillimum exemplum habemus apud Plinium Hist. Nat. XII. 5. 22: *quorum imi adeo in terram curvantur;* quod autem sic saltem singularem pro plurali *terras* usurpandum fuisse arguit, apud poëtam, ubi tot res metro con-

donandas esse nuper Koenius docuit [51]), non magis quam apud Virgilium, Ovidium aliosque offendere potest [52]). Quanquam hic si quis eam tantum lectionem sequi velit, quae scholiastae olim ante oculos fuerit, *terris* scribendum fore apparet ex interpretatione, quam e codd. nostris emendatiorem ita legimus: *exolevisse dicit in terris spiritum divinum de hominibus natura eis inditum et intelligentiam summam*, neque optimorum librorum consensus dubitari patitur, quin quidquid corruptelae locus contraxerit, satis mature acciderit; longe vero melior condicio est Sat. V. 19, ubi licet scholiastam ipsum *pullatis* praetulisse manifestum sit, judicio tamen ejus facile supersedemus, modo alteram lectionem *bullatis*, quae nobis unice vera esse videtur, eadem testimonii antiquitas commendet. Atque hoc ipsum quomodo Hauthalius negare possit, non intelligo. Scilicet hanc lectionem undecimo demum saeculo ortam et ex aliquo codice glossis instructo a Bonardo primo Cornuti editore una cum glossa inter hujus scholia receptam esse arguit [53]);

51) Ueber die Sprache der Römischen Epiker, Münster 1840. 8, p. 91. 105.

52) Wagnerus quidem quaestt. Virgil. p. 412 hoc discrimen intercedere suspicatur, ut *ad terram* significet rem *superne* venientem, contra *ad terras* dicatur de eo, quod e mari motu *horizontali* appropinquet, ipse tamen concedit esse ubi metri necessitas pluralem exegisse videatur, eademque causa erit Horat. Serm. I. 8. 43: *atque lupi barbam . . abdiderint furtim* *terris*; Ovid. Metam. XIV. 847: *ibi sidus ab aethere lapsum decidit in* *terras*; aliorumque apud Cortium ad Lucan. Phars. II. 58.

53) Beiträge p. 289: *denn dass in den Ausgaben des Cornutus . . auch* *bullatis* *als Variante zugleich mit einem Scholion angeführt ist, das beweist noch nicht, dass dem Cornutus selbst diese Lesart schon bekannt war, sondern nur dass zu der Zeit, als* *Jo. Bonardus*, *der Veroneser Priester, den Cornutus . . zusammenflickte, diese Lesart nebst dem darauf bezüglichen Scholion aus einem Mss. mit aufgenommen hat.*

quod ut temere sumtum esse appareat, ex utroque meo Cornuti codice, quos tribus fere ante Bonardum saeculis scriptos esse dixi, totum locum integrum subjeci, quo si hoc certe probatur, ut minimum duodecimo saeculo eadem verba in duobus non Persii sed ipsius scholiastae Mstis e diversissimis regionibus oriundis prorsus simili modo scripta exstitisse, parum profecto verisimilitudinis restat, praestantissimam lectionem vix centum annis ante ipsius demum poëtae libros invasisse. Sic igitur Lugdunensis meus, cui et Norimbergensis et editionis Pithoeanae varietatem interposui: *Nec studium meum tale est* (Pith. *est tale*) *ut more grecorum culpatus* (Nor. *culbatus*) *tragoedias* (Pith. *tragoediam*) *scribam, sed concentum* (Nor. *conteptum*) *me satiram* (Pith. *contentus sum satyras*) *scribere. Pullas* (Nor. *pullus* suprascr. *a*; Pith. *pullatas*) *autem nugas tragoediarum ait propter tristes fabulas et quia* (Pith. *quod*) *maxime pulla veste id est lugubri tragoedi utebantur. Legitur et bullatis id est ornatis. Non est hoc mihi propositi* (Nor. *hoc non est mi;* Pith. *hoc non est propositi mihi*) *genus ut studeam pullatis* (recte Pith. *bullatis*) *nugis quicquam scribere id est puerilibus jocis ac verbis. Sed nos loquemur* (Pith. *loquimur*) *digna gravibus verbis O cornute pullatis pilleatis* (Nor. *paliatis*) *grecis* (Pith. *vel pullatis .i. palliatis vel Graecis*); ubi si quid confusum est, non video cur non ab illo jam confundi potuerit, quem sub ipsum Romani aevi finem integrum hunc commentarium compilasse dixi, tantumque abest ut ea glossae pars, qua *bullatis* explicatur, ea qua Hauthalius vult aetate oriri potuerit, ut vel in errore suo vivam an-

tiqui temporis memoriam prodat. Bullas certe undecimo p. Chr. n. saeculo pueri amplius non gestabant; quod si quis nihilominus bullatas *puerilee* explicat, vel majorem antiquitatis notitiam prae se fert quam is, qui veteres tragoedos propter tristia fabularum argumenta pullis vestibus usos esse credidit! Neque satis mirari possum virum eruditissimum tantum huic interpretationi tribuere, ut vel internis argumentis et ipse tragoedias lugubris vestis imagine describi asserat [54]); qua ut orbos, supplices, exules indui consentaneum erat, ita plurimam personarum tragicarum partem sub finem demum fabulae ad exilium vel orbitatem redigi constat, prodeuntium autem et in scena versantium splendidum potius et magnificum apparatum esse solere; neque ipsa fabularum immanitas, quam in antecedentibus poëta respicit, in luctu magis aut misericordia commovenda, quam regiis imperiis et magnarum domorum casibus cernitur, quibus ampullae et sesquipedalia verba conveniunt. Hoc tantum Hauthalio concedo, si ea sola optio relicta esset, utrum *pullatis* legeremus an *bullatas nugas* cum glossatore ad pueriles jocos et ineptias traheremus, priorem lectionem quamvis durissimam meliorem fore; atque haud scio an hoc ipsum corrumpendae scripturae occasionem dederit, quod quum puerorum bullatorum mentionem a tragico tumore alienam viderent, nugas quoque Persium non *bul-*

54) Beiträge p. 287: *so wie im Leben, so erschienen natürlich auch auf der Bühne die Trauernden gekleidet; so wie nun togatus und palliatus auf die Comödie . . übergetragen wurde, eben so konnte dieses auch mit pullatus geschehen, um so mehr, wenn im Vorhergehenden dem Schwulst und falschen Pathos griechischer Trauerspiele die einfache natürliche Rede bei römischen Volksmahlzeiten entgegengesetzt war!*

latas dixisse arbitrabantur; sin relicta scholiastae explicatione, cujus ut apud criticum summa, ita apud interpretem fere nulla auctoritas est, ad eundem inanem verborum turgorem retulerimus, quem etiam antea *buccae stloppo tumidae* et *venti folle pressi* significant, non video, cur non *bullatarum* imago aptissima haberi debeat. Nam quod Hauthalius objecit *bullatum* eum tantum dici posse qui bullam gestet, turgidum et sufflatum *bullantem* potius dicendum fuisse, in vulgarem tantum verborum usum cadit, non in poëticum, quem nunc maxime Persius irridendo exprimit; sermonis autem legibus tantum abest ut interpretatio nostra repugnet, ut ipse puer ita tantum *bullatus* dici possit, ubi bulla instructus sit; quod si bulla etiam ad tumorem et inanem verborum strepitum transferri potest, nugae tali strepitu ac tumore insignes eodem jure *bullatae* dicentur, quo avem alis praeditam *alatam* appellamus. Atqui hujus metaphorae non major audacia erit quam ejus, qua Graeci ληκύθους id est ampullas ad grandis et tumidae orationis significationem transtulerunt [55]), ipsique Latini *vesicam* pro *cavis verbis et vesicarum in modum tumentibus* usurpant [56]); nihil igitur causae restat, cur lectionem sententiae

55) Schol. Hephaest. p. 84 Gaisford. *βόμβος γὰρ γίνεται περὶ τὸ ληκύθιον ἐκ τοῦ ἐμπεριεχομένου αὐτῷ ἀέρος κινουμένου . . διὸ καὶ Καλλίμαχος μοῦσαν ληκυθίαν τὴν τραγῳδίαν λέγει:* pluraque apud Weichert. poët. Latin. reliqu. p. 387 sqq.

56) Verba sunt S. Hieronymi Epist. 100, cui jam Marcilius adjecit Martialem IV. 49. 7: *a nostris procul est omnis vesica libellis.* Idem apud Francogallos est *billevesée*, hoc est, ut explicant Molierii interpretes ad finem fabulae quae inscribitur *les précieuses ridicules*, *balle remplie de vent, et par allusion, discours vains, trompeurs; mot composé de bille, balle, et de vezer, souffler* etc.

convenientissimam fastidiamus, quae nisi ipsa sua vetustate tuta fuisset, vix intelligeremus, quomodo vel obloquente scholiasta in tot codicibus retineri potuisset. Ne quis autem ideo, quia haec ab antiquioribus libris abesse dicitur, omnino quidquid variantium lectionum apud scholiastam exstet, ad posteriorem aetatem rejiciat, vel extremum quod superius posui exemplum Sat. V. 58, ubi pro *putris* in aliis *putrit* legi tradit, iisdem fere verbis Hauthalius in antiquissimis membranis suis invenit; utque hoc pro glossemate sperni patiar, illud tamen, quod summum est in hac quaestione, et ipsum confirmat, commenti nostri lectiones, etiam si pravae sint, codicum tamen quotquot habeamus vetustatem non modo aequare verum etiam superare; quod si nihil aut extrinsecus aut ex ipso sententiae tenore exsistet, quod aliquam earum pravitatem arguat, tutius profecto, in quo nitatur, fundamentum critica invenire nullo modo poterit.



Disputationis nuper ad indicenda Augustissimi Electoris natalicia institutae haec summa fuit, ut praeter palimpsesti fragmentum, cujus lectiones quidem Angelus Majus publicavit [1]), apographum autem ab Hauthalio promissum frustra exspectamus, nullum Persii exemplar manuscriptum exstare dicerem, cujus antiquitas eam aetatem aequet, qua omnibus calculis subductis scholia Cornuti nomine compilata ipsam hodiernam formam accepisse probabile sit; quod si in dijudicanda lectione aliquod vetustatis momentum est, jam eam ob causam horum testimonium merito locupletissimum habebitur. Ne tamen soli vetustati tantum ponderis tribuere videar, ut eam ad firma emendationis fundamenta jacienda sufficere existimem [4]), alterum quoque, quod illic pollicitus sum, nunc quantum per spatii temporisque angustias licebit exsequi conabor, ut singulas eorundem lectiones, quas quidem scholiastam ante oculos habuisse aut explicatio ipsius aut codicum consensus suadeat, etiam univer-

1) Class. auctt. e Vatic. codd. T. III, p. XX. Scriptura si eadem est, quae in fragmento Juvenalis ibidem descripto, tertium vel quartum p. Chr. n. saeculum prodit.

2) Bernhardy Grundlinien zur Encykl. d. Philol. p. 130: *das unwichtigste Moment ist für den Philologen das Alter von Mss., da selbst ein sehr junges Exemplar an innerem Werthe die ältesten überwiegen kann;* quod etsi durius dictum videtur, solam tamen vetustatem ad fidem lectioni faciendam non sufficere vel ea ostendunt, quae nuper de variantibus ab ipso jam scholiasta enotatis disseruimus.

sis artis criticae legibus ita plerumque respondere doceam, ut aut cum praestantissimo reliquorum testium genere concinant, aut si ab his recedant, ipsa sententiae praestantia et internis argumentis commendentur. Neque hoc ita dico, ut superiorum tantum editorum apparatum spectem; sed eos quoque Persii codices in censum vocavi, quos mihi aut ipsi inspicere aut aliorum opera collatos in meum usum convertere contigit; quorum quia identidem in hac quaestione mentio facienda erit, de singulorum condicione et indole paucis praemonebo. Lugdunensem quidem Geelii beneficio commodatum, quem litera C insigniam, jam in superiore disputatione descripsi; Meyeri vero Norimbergensis hic iterum mihi liberalitas praedicanda est, qui praeter Cornutum jam superius commemoratum etiam ipsius Persii exemplar utendum concessit itidem membranaceum nec minoris antiquitatis nota conspicuum Ebnerianum (E), cujus etsi dudum Sebaldus ad calcem editionis aeri incisae [3]) lectiones complures enotavit, tamen nec correctiones indicavit, quae hinc inde suprascriptae sunt, neque omnino ea cura ac diligentia munus suum administravit, ut nova collatione ab integro instituenda abstinere potuerim. Deinde Schneidewinus vir ingeniosissimus, quocum dudum amicitiae vinculis conjunctus mox etiam arctiore collegii ne-

3) A. P. F. satyras sex ad fidem opt. edd. una cum variis lectt. cod. Ebneriani ed. Georg. Frid. Sebaldus tabulisque aeneis incidit Jo. Mich. Schmidius. Norimb. 1766. 4; cf. Passow p. 165. Codex ipse est membranaceus saec. XI vel XII formae quartanae foliorum XVII in fine mutilus, ut desint Sat. VI v. 75—80, glossis interlinearibus et marginalibus instructus, quarum tamen pars propter atramenti pallorem vix amplius legi potest.

cessitudine junctum iri spero, duarum membranarum Guelferbytanarum lectiones mecum communicavit, quarum alterius quidem (A), quam Ebertus [4]) decimo quarto, Schneidewinus decimo tertio saeculo tribuit, varietas a Silligio descripta et Hauthalio praesto fuit [5]) et ab Orellio fere integra vulgata est [6]), altera vero olim Gudiana (B) saec. XI, ut Eberto placet, a nullo adhuc editore in subsidium adhibita esse videtur. Plurimam autem gratiarum actionem debeo Seebodio viro clarissimo pariter atque humanissimo, qui quum me Persii edendi negotium recepisse audisset, ex scriniorum suorum penu ultro transmisit collationes, quarum partem certe inter praestantissimas copias numero, quae hujus poëtae editori contingere possint. Quamvis enim tres horum librorum (MNO), quorum nec ipse amplius originem recordabatur, plerumque deteriorem tantum scripturam praebeant, quae ex pravis saec. XV Mstis in plurimas editiones antiquas transiit, inter ceteros primum est collatio duarum primarum satirarum cum vetustissimo codice Puteaneo (K), deinde varietas codicis Trevirensis (D) Creuzeri cura collati, qui praeter lacunam a Sat. I. 74 usque ad Sat. III. 50 pertinentem totum libellum comprehendit, praetereaque optimae notae lectiones per omnes sex satiras (I), quarum etsi fons ipsius Seebodii memoria excidit, tantum passim concentum cum antiquissimo Oxoniensi apud Hauthalium (cf. sup. disp. not. 4) deprehendi, ut interdum integram ejusdem

4) Bibl. Guelferb. codd. graeci et latini classici, Lips. 1827. 8, p. 126.
5) Cf. Beiträge p. 212.
6) Eclog. poët. latin. edit. II, Turici 1833. 8, p. 192.

notitiam tenere mihi viderer. Postremo Theodorus Oehlerus Moeno-Francofurtanus, cujus singularem doctrinam et sollertiam in perscrutandis thesauris manuscriptis jam alibi debito testimonio persecutus sum [7]) eandemque interim majori specimine grata philologorum turba cognovit [8]), et illud precibus meis dedit, ut tres codices Bruxellenses in meum usum conferret, et suorum duorum ultro mihi fructum permisit, quorum alter (P) etiam Cornutum in fine adjectum habet; utque hos quippe chartaceos et saec. XV incredibili cum negligentia scriptos exiguam mihi utilitatem praebuisse fatear, e Bruxellensibus tamen, quamvis aetate non majoribus, unum tantum (H) cum tribus illis infimae notae Seebodianis ita convenientem inveni, ut eo vel carere facile potuerim [9]), reliqui duo (F et G) hinc inde ad superiorum praestantiam proxime accedunt [10]). Quanquam ne horum quidem omnium eadem condicio apparet; quam si ita describere velim, ut eadem tabula et familiarum necessitudinem et temporum affinitatisque rationem comprehendam, qua cum recentioribus libris continentur, haec fere effigies exstiterit:


---

7) Anal. catal. codd. bibl. acad. Marb. p 27.

8) Flori fragmento reperto, quod edidit Ritschelius Mus. Rhenan. T. I, p. 310.

9) Oehlerus cum saec. XV exeunte in Italia scriptum esse ait, ut vel ex editione aliqua antiqua fluxisse possit. Bruxellis insignitur num. 14628, olim autem penes Richardum Heberum fuit, in cujus catalogo num. 1052 gessit.

10) Alterum horum (F), qui Bruxellis numeratur 1811, Oehlerus ineunte saec. XV in Germania scriptum videri tradit; dignus autem habitus est, qui a. 1794 a Gallis Parisios transferretur, unde a. 1815 domum rediit. Alter (G) Bruxellensibus 14886 membranaceus est, medio saec. XV in Italia scriptus, olimque penes Nicolinium quendam fuisse videtur, unde et ipse ad Heberum pervenit ab eoque num. 585 insignitus est.



Summa enim similitudo exstat inter Trevirensem (D) et Ebnerianum (E), nec multum ab hac familia recedit is quem Oxoniensis similem modo dixi (I), eadem vero iis quoque, quos saec. XV deturpatos praedicavi, quodammodo pro fundamento fuisse videtur; ab altera autem parte Guelferbytani duo (AB) cum Puteaneo (K) non minore affinitate juncti conspiciuntur; medius denique inter utrumque genus haeret Lugdunensis (C), cujus ut in sup. disp. not. 7 prorsus unicam lectionem attuli, ita alias quoque passim singulares vel cum paucis tantum communes offert, omnium tamen maxime a Bruxellensium communione abhorret, ut jure miremur vel tantum ei concordiae cum duabus prioribus classibus intercedere, quae nec illorum consortia plane respuunt. Sed harum cognationum investigatio et per se satis lubrica est et ita tantum cum aliquo fructu institui possit, si omnia pariter Persii exemplaria Msta complectatur; quod quum vel ideo fieri nequeat, quia pauca horum adhuc ea qua vellemus diligentia excussa sunt, tum ab hujus disputationis consilio alienum est, quae in tanta scholiorum antiquitate, quam omnes codices codicumque nostrorum familias superare consentaneum est, singulis

modo lectionibus examinandis eo pervenire sataget, ut reperto firmo criticae fundamento etiam de integrorum codicum familiarumque praestantia judicare liceat. Atque illud ipsum initio ita facere in animo erat, ut gradibus quibusdam auctoritatis constitutis, primum eos locos tractarem, ubi scholiastae explicatio pristinam lectionem clarissime ostenderet, deinde vero ad lemmata transitu facto hic quoque eas lectiones distinguerem, quas aut codicum consensus aut ipsa lemmatis a textus scriptura discrepantia prae ceteris commendaret; nunc tamen commodius visum est satirarum ordine servato ita tantum his gradibus uti, ut prout lectio aliqua uni alterive generi conveniat, majorem vel minorem ei auctoritatem tribuam.

Sat. I. v. 6 antiquam esse varietatem *examenque* et *examenve* ostendit et noster I, in quo utraque lectio exstat; Cornuti autem exemplaria omnia praeter Oehlerianum P, in quo solum est *examen*, praebent *examenve*, atque ita etiam codd. nostri ABCFG, dum DEOQ *examenque*, HMN *examen et* exhibent. Impedita sane res est, in qua et libros scriptos et editores haud raro titubare videmus [11]; sed quum et omnino negativis sententiis magis conveniant particulae disjunctivae [12] et in hoc loco gradatio cernatur, cui peculiariter id quod est *ve* Handius concessit [13], scholiastae auctori-

11) Cf. Wagner. quaestt. Virgil. p. 578: *qua in re quum etiam optimi libri interdum a vero aberrare videantur, fateor me non ubique plane expeditam habere sententiam;* quocque laudat Obbarius ad Horat. Epist. I. 10. 28.

12) Cf Weichert. poët. Lat. reliqu. p. 161; Hand. Tursell. T. I, p. 514; Fritzsche in Allg. Schulzeit. 1830, p. 248.

13) Hand. ad Stat. p. 281: *tum ponitur ve, ubi majus quid aut gravius additur, quod reddi debet* aut adeo, aut etiam.

tatem reliquis quamvis bonis praefero. Nam quod Passovius ipsam examinis improbi castigationem in illa trutina vetari negat verbaque affirmative interpretatur: *selbständig regiere das Zünglein jener betrüglichen Wag'* — aut *illa* perperam pro *ista* accepit [14]) aut prorsus a poëtae sententia aberravit, qui populum quidem deliciis suis perfrui patiens, non hunc emendari, sed sapientem tantum cavere jubet, ne judicium suum ad alienam mensuram dirigat. Alia causa est v. 8, ubi codd. quidem nostri praeter FGP omnes pleniorem scripturam exhibent: *nam Romae est quis non?* quae etiam ex plurimis aliis libris scriptis editisque in Casauboni, Passovii, Weberi, Hauthalii editiones transiit; scholiorum autem exemplaria ita discrepant, ut quum scripta nostra et ipsa plurimorum codd. lectionem retineant, Pithoeanum *est* omittat; quo in discrimine quum ad nostra ipsorum judicia remittamur, equidem nunc certe editum eo fidentius sequor, quod poëtae textus Pithoeanus verbum addit, unde apparet omissionem illam non a recentiore editore institutam, sed ex ipsis Vincti codicibus, qui itidem tres fuerunt, servatam esse. Necdum inveni qui aut vocabulorum transpositionem, quae nos in pleniore scriptura offendit, idoneis exemplis excusarit, aut ipsam aposiopesin ita explerit, ut aliquo acumine cum reliqua poëtae sententia

---

14) Ruddim. Inst. L. L. T. I, p. 198: *hic ad primam personam solet referri*, *iste ad secundam*, *ille ad tertiam;* cf. Wagner. Qu. Virg. p. 472 et Reisig. Vorles. üb. latein. Sprachwissenschaft p. 361. *Illa* igitur *trutina* non est hominis, quocum Persius loquitur, sed populi; hujus autem mensuram non corrigi jubet, sed ad sapientem tantum transferri vetat: *noli examen tuum in populi trutina castigare.*

conciliaretur. Casauboni certe supplementum: *nempe corrupti judicii et indignus cujus rationem habeas*, nihil continet, quod poëta post ea, quae jam antea dixerat, silentio premeret et vel nefas videri posse suspicaretur; Hauthalii autem explicatio: *quis nostrum, cives Romani, est quin carmen aut censuram scribat* [15]), ne verbis quidem convenit, quia tum *qui non* potius exspectaremus; ipsius denique scholiastae glossa: *quis non est rudis et imperitus*, verbum aeque in aposiopesin cadere patitur; quibus omnibus comprehensis ego quoque cum Dübnero et Plumio ad eam rationem redire non dubito, ut jam nunc poëtae ea obversata esse statuam, quae post gravissimae argumentationis ambages postremo v. 121 claris verbis enunciat: *auriculas asini quis non habet?* Sic enim illic legendum esse, quamvis et ipsum Casaubonus et Passovius negarint, ne Hauthalius quidem dubitat, nec codd. tantum consensus, verum etiam scholiastae auctoritas suadet, utque vitae scriptori fidem habeamus, qui ipsum poëtam initio *Mida rex* scripsisse affirmat nostramque Cornuto demum emendatori tribuit [16]), editorem tamen illud tantum sequi

15) In edit satirae primae, Lips. 1833. 8, p. 14.

16) Verba haec sunt in fine vitae, quae ab aliis Suetonio, ab aliis Valerio Probo tribuitur (cf. sup. disp not. 27): *cum tanta recentium poëtarum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis principem culpaverit; cujus versus in Neronem quum ita se haberet:* auriculas asini Mida rex habet, *in hunc modum a Cornuto tantummodo est emendatus:* auriculas asini quis non habet? *ne hoc Nero in se dictum arbitraretur;* quibus quod Breitingerus apud Schellhorn. Amoen. liter. T. X, p. 1108 scholiastae auctoritatem ita quoque opposuit, ut hunc ipsi Persio mutationem tribuere moneret, sane quam memorabile est Oehlerianum codicum P pro edita lectione, quam etiam ceteri duo nostri scripti cum exigua varietate servant, haec exhibere: *et dicitur Neronem et Claudium tetigisse sub alle-*

deceat, quod olim in vulgus prodiisse constet; at enim ipsam illam pristinam scripturam scholiasta ad rumorem quendam refert, quo *dicatur Neronem et Claudium tetigisse sub allegoria Midae,* quumque totius satirae non hoc tantum argumentum sit, ut certorum hominum stuporem in recitationum declamationumque deliciis conspicuum reprehendat, sed ut hoc ipsos pravis populi sermonibus (v. 63 sqq.) judiciisque ad solam externam speciem directis corrumpi arguat, nec Neronis versus alio consilio commemorentur, quam ut ne principem quidem civitatis a communi labe immunem esse appareat, nihil profecto causae est, cur ipsam Midae comparationem, quam totus orationis tenor satis superque prodit, ad unius imperatoris ludibrium restringere quam cum universo populo communicare malimus. Sed haec, quia ad scholiastae lectionem a codicum discrepantia defendendam non pertinent, in transcursu attigisse sufficiat; nec diutius immorabimur varietati v. 15, ubi Pithoeus quidem in lemmate pro

---

goriae Midae, qui auriculas maximas habuit; denique Persius sic scripsit: auriculas asini Mida habet, sed Cornutus hoc mutavit ita ponens: auriculas asini quis non habet, veritus ne Nero ipse (leg. *in se*) *dictum putaret*; quae haud scio an eodem modo, quo in sup. disp. pag. 16 vidimus, in aliis ideo tantum mutata sint, quia in commento, quod ipsi Cornuto tribueretur, ejusdem tanquam alieni mentio offenderet; totum certe locum ex meliori exemplari petitum esse vel lectio *habuit* ostendit, quae vulgatae *habuerunt* longe praestat. Sed quamvis hoc invento fortasse infringatur Breitingeri ratiocinatio, qua ipsi vitae pannum posterius assutum arguit, narrationis tamen fides ea re neutiquam confirmatur, quam et ipse Breitingerus in diatribe de versibus obscuris Persio Sat. I. citatis, Tiguri 1723. 8, p. 8 et F. C. R. Ritterus in spec. annott. ad Persii satiram primam, Marb. 1833. 8, p. 76 a Cornuti moribus, quales aliunde novimus, prorsus abhorrere docuerunt; neque quidquam verisimilius est, quam ipsam illam narrationem ex vetere glossemate ortam esse, cujus originem vel nostra scholia in illis verbis produnt, quae tonsorem Midae scrobi insusurrasse narrant; cf. etiam Weichert. poët. Lat. reliqu. p. 418.

haec populo habet *hoc*, scripti tamen nostri cum ipsius poëtae editionibus *haec* retinent, quod per errorem tantum mutatum esse etiam inde apparet, quod ne poëtae quidem codices aut alieni aut nostri praeter unum G *hoc* exhibent; manifesta vero scholiastae auctoritas apparet v. 17 et 18, ubi quum alii *leges . . collueris*, alii *legens . . colluerit* scribant, illum quidem *legens . . collueris* legisse clara explicationis verba produnt, eamque lectionem et codicum optimorum consensus et ipsa sententia egregie confirmat. Nam quod v. 17 in Lugdunensi nostro est: *quia potest dici vel tandem leges* pro *legens*, ne quis scripturae post Pithoeum a Casaubono, Reizio, Achaintrio receptae patrocinari putat, praeter editum scholiastae exemplar etiam Norimbergense cum omnibus nostris poëtae codd. plurimisque aliis participium tuetur, neque insolens est synecdoche, qua *pulmo anhelans*, quo illi participium *legens* referre noluerunt, ipsius hominis cum magna pulmonum intentione legentis locum accipit [17]); ne tamen putida concinnitatis specie decepti etiam sequentia ad pulmonem potius quam ad hominem trahamus, et optimorum nostrorum ABCDEI scriptura *collueris* et scholiastae explicatio prohibet, quam ex nostris codd. etiam emendatiorem ita legimus: *m. c. exquisito intellectu tanquam eo laveris et purum reddideris guttur fletu femineo agitatum* etc. Nec v. 24 dubito quin optimae lectioni *quo didicisse*, quam sermonis

17) Eadem orationis figura Juvenal. X. 238: *tantum artificis valet halitus oris, quod steterat multis in carcere fornicis annis*, ubi pariter ad os refertur quod in ipsam potius meretricem cadit.

legibus unice respondere dudum Casaubonus intellexit [18]), ex nostris libris jam etiam gravissimum scholiastae testimonium accedat. In editis quidem legitur *quid didicisse*, quod et poëtae codd. quam plurimi praebent et Achaintrio, Passovio, Webero, Plumio cum plerisque antiquioribus editoribus probatum Hauthalius quoque in priorem suam editionem recepit, in altera vero ex conjectura *qui* scripsit, *quo* cum accusativo tantum rei et dativo personae jungi causatus; at utrumque etiam abesse posse docet Plin. Epist. VII. 6. 11: *bene mehercle, sed quo tam bene?* utque concedam *qui* antiquo more pro *quo* dici potuisse, localem tamen significationem, qua nunc idem est quod *quem ad finem*, vix arbitror unquam illa forma declaratam esse, quae ubi a posterioribus servata est, aut cum praepositione jungitur aut instrumentalem vim gerit [19]); quod si alteri externa modo auctoritas accesserit, ab omni parte tutam fore arbitror. Atqui Norimbergensis noster scholiasta cum ipsius poëtae Lugdunensi C claris verbis scribit *quo*, nec scholiastae in hoc codice lectio repugnat, qui quod habet *quod didicisse* ipsam corruptelae viam ostendit, cujus et Puteaneus K et clarius etiam Guelferbytanus noster B vestigium exhibent, ubi quum itidem initio, repetita scilicet, ut saepe fit, sequentis vocabuli prima litera, *quod* scriptum fuisset, mox ab alia manu, quae interrogativam formam requireret, *quid* correctum est; ipsa denique scholiastae explicatio:

18) Cf. Heinsius ad Ovid. Heroid. II. 53 et A. A. I. 303, Markland. ad Stat. Silv. I. 2. 188, pluraque apud ipsum Hauthalium ad Sat. V. 130, p. 418 sqq.

19) Haase ad Reisig. Vorles. über lat. Sprachw. p. 590 sqq.

quid prodest didicisse aliquid, nisi recitatione pandatur? tantum abest ut editam lectionem firmet, ut hinc etiam magis declaretur, quomodo haec pro glossemate appicta tot libros scriptos pariter editosque invadere potuerit [20]). De v. 32 verbo monuisse sufficiat, ubi quod Britannicus et Marcilius pro *hyacinthina* commendarunt *et ianthina*, nostrorum quoque unus O tenet; vulgatam tamen scripturam sanam esse et reliquorum omnium consensui et scholiastae lectioni credimus, cujus scripta quoque exemplaria *iacintina* vel *yaccinctina* exhibent. Major codicum editorumque discrepantia est v. 55, si quidem pro *dicite*, quod plerique et nostri et alieni codd. exhibent, Passovius, Achaintrius, Orellius, Weberus *dicito* scribunt, ut unum tantum Persium dives poëta alloquatur, idque et nostri ABFG commendare videntur; scholiastam tamen pluralem legisse ostendit explicatio: *tu verum examen ab iis* (codd. *ab his*) *audire desideras, quibus non habenda est fides* (Norimb. *non est fides habenda*; Lugd. *non est adhibenda fides*), ipsique sententiae magis convenit, ut ille clientium assentatione fretus quaestionem in medio ponat, Persius autem non rogatus pro illis respondeat. Sequitur insignissimus locus v. 58—60, quem quum Hauthalius diligentissimus priorum ita ediderit:

---

20) Idem etiam magis perspicitur in Bruxellensium duorum FG scriptura, qui integrum glossema in ordinem receperunt: *quid didicisse juvat*, nec profecto apparet, quomodo *quid* sine hoc additamento intelligi possit. Ellipsis enim exempla, quae Passovius ex Matth. Gr. Gr. §. 544 attulit, prorsus alieni generis sunt, nec quod Cicero Senect. 15 dixit: *quid ego vitium . . incrementa commemorem*, efficit ut etiam *quid . . commemorasse* dicere licuerit.

o Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
nec linguae, quantum sitiat canis Apula, tantum!

illud quidem, quod Lugd. noster pro *pinsit* scribit *pinxit*, quamvis Achaintrio placuerit, nec nostrorum poëtae codd. FHIK testimonio destituatur, eo facilius spernimus, quo clarius et Norimb. et Oehler. cum editis *pinsit* exhibent, nec Lugdunensis explicatio a vulgata discedit, quae manifesto ad *pinsendi* vocabulum dirigitur: in ceteris autem duobus versibus haud scio an eodem scholiasta auctore in alia omnia mittamur. Et v. 59 editus quidem in lemmate verba *imitata est* prorsus omittit; uterque autem noster Lugdunensis pariter et Norimbergensis [21]) ita scribit: *nec manus auriculas i. m. a.*, quibus in literis manifestum est alteram potius lectionem latere *imitari*, quam jam ab Heinsio ex antiquis codd. erutam [22]) soli tamen Orellius, Plumius, Dübnerus receperunt, neque editorum scholiorum auctorem aliud legisse colligimus ex interpretatione: *mobilis i. e. facilis, docta*, quae ita tantum locum habere potest, ut mobilitatis notio non ipsius vocabuli finibus includatur, sed sollemni poëtarum more ad aliam actionem exterius positam et infinitivo declaratam referatur [23]). Accedit insuper codd. auctoritas et nostrorum CDE

21) Oehlerianum enim mittimus, cujus insignem corruptelam etiam hujus loci scriptura testatur: *nec manus auriculas imitata est mollibus abbas!*

22) Advers. I. 3, p. 28.

23) Cf. Bentl. ad Horat. Od. I. 1. 5 et II. 19. 7; Vechneri Hellenolex. I. 21, p. 303 sqq.; Schmid. ad Horat. Epist. I. 2. 27; Loers. ad Ovid. Trist. V. 7. 19.

et aliorum ut palimpsesti et Bernensis apud Hauthalium, cui *imitata est* pro varietate tantum adscriptum est, neque intelligo, quomodo is lectionem, quae manifestam correcturae speciem prae se fert, non solum difficiliorem sed aptiorem dicere possit; illud certe, quod ad explicandum accusativum *quem* ex poëtae animo notionem generalem *irridens* supplet, multo durius est quam zeugma, quo *pinsit* a *ciconia* simul ad *manum* et *linguas* transfertur; neu quis ex ipsa constructionis duritie verbo finito patrocinium quaerat, ea tantum difficultas auctoritatem criticam habere potest, quae cum aliqua elegantia et recondito sermonis usu conjuncta sit, quod nunc ipsum in *imitari* potius quam *imitata est* cadit. Lectionem *altas*, quam soli Reizius eumque secutus Koenigius sine ullo externo fundamento ex conjectura Gesneri [24]) receperunt, quia ne sententiae quidem praestantia commendatur, mitto; v. 60 autem totus in Casauboni partes abeo, qui pro *tantum* exhibuit *tantae*, nollemque ipse vir doctissimus in commentario *tantum* elegantius esse dixisset, quod etsi et alii codd. recentiores satis multi et nostri GHMNOPQ praebent, antiquissimis tamen et nostris ABCDE et Hauthalii reprobatur, tantumque abest ut cum hoc pluralem ex glossa intrasse credam, ut ipsam scholiastae explicationem exsistere potuisse negem, nisi is in

24) Thes. L. L. T. I, p. 558 s. v. *auricula*, qui tamen ipse dubitans tantum eam proponit. Gesnero vero quantum tribuerit Reizius, etiam Wolfii judicium ostendit Vorles. über die Gesch. d. röm. Liter. herausg. v. Gürtler p. 229: *nirgends findet man so viel über den Wortverstand des Persius als in Gesners Thesaurus, welcher zu einem grammatischen Commentar dient*, quod in tanta utriusque hominis necessitudine vix ambigi potest quin alter cum altero communicaverit.

suo exemplari *tantae* perscriptum legisset. Ille enim et antea jam scripsit: *aut protendunt linguam quantum canis Apula multa siti*, ubi si Hauthalianam lectionem exprimere vellet, *linguae* scribendum erat, et ad ipsum lemma *tantae* adscripsit: *tantum prolatae*, unde illud potius apparet, quomodo *tantum* ex glossemate in textum irrepere potuerit [25]), nisi eo confugere praestat, quo ducit codicis nostri Bruxellensis F lectio ab Achaintrio quoque ex Parisinis suis recepta:

nec linguae tantum, sitiat canis Apula quantum,

ut ex Leoninorum versuum studio prodierit, quod ipso saec. XI vel XII doctos homines occupavit; alios tamen vel sic veterem lectionem retinuisse, Oehlerianus scholiasta (P) docet, qui etsi in textu *tantum* exhibet, in commentario tamen et ipse *tantae* servavit. Mox v. 61 nostri A B *vis est* vel potius *jus est*, quod etiam Achaintrius recepit, Cortiusque aliorum locorum comparatione commendat [26]); sed scholiasta claris verbis *fas est* auctor, ubi ita tantum scripti nostri ab editis discedunt, ut *vos* perperam post *quas* insertum omittant; nec v. 67 arbitror viros doctos in tam diversas partes abituros

25) Licet hic ipsius Hauthalii verba in usum nostrum convertere, quibus recte monet Beiträge p. 175: *man muss bei den alten Scholiasten wohl unterscheiden zwischen der Angabe des Inhalts und zwischen der Anführung der Texteswortε in dem Scholion selbst . . . manche Kritiker scheinen mir dieses nicht ganz zu beachten, und daher kommt es, dass sie in manchen Glossen gerade die Vertheidigungsgründe ihrer Schützlinge finden, wo sie die Quelle des Textverderbnisses erkennen sollten.*

26) Ad Lucan. Phars. I. 360: *et ius est*, vulgo *et fas est*, *atque eadem confusa vidi in Persio I. 61, quos vivere jus est, ubi in margine Ms. nostri a pr. manu notatum: vel fas est* etc. Weberus tamen apud ipsum Lucanum recte jam restituit *fas est*.

autem *dictatorem* quoque defendi, nunc retracto, nec scholiastae tantum causa, quem *dictaturam* legisse loci modo appositi clarissime docent [31]), verum etiam propter codd. meorum consensum, ex quibus solus E *cum — dictatorem* scribit, inque primis propter Sidonii Apollinaris versus VII. 384, qui quum Persii locum aperte imitatus sit, simul et verbi constructionem et eam narrationis formam comprobat, qua Racilia maritum non ut apud Livium toga sed ipsa veste imperatoria dictaturaeque insignibus induit:

sic quondam ad patriae res fractas pauper arator,
Cincinnate, venis, veterem quum te induit uxor
ante boves trabeam etc.

Hauthalius quidem negat illo aevo Latine dici potuisse *quem dictaturam induit uxor*, nec quinti saeculi scriptori Gallico hunc usum condonans apud Sidonium quoque corrigit *veteri trabea;* sed ne hoc quidem concesso ad *dictatorem* rediri necesse esset, quum optimi nostri BD claris verbis *quem — dictatura* exhibeant, neq tamen accusativi constructionem quippe difficiliorem damnandam

---

4, not. 8; Stürenburg. ad Cic. pro Arch. p. 184; Otto ad Cic. de Fin. p. 387; Madvig. de Juven. spec. II, p. 11 sq. Nostro loco prorsus respondent Lucret. I. 23: *quae quoniam rerum naturam sola gubernas nec sine te quidquam;* Petron. Satyr. c. 133: *quem Lydus adorat templumque tuis imponit Hypaepis;* Plin. Epist. III. 16. 9: *cujus in gremio Scribonianus occisus est et vivis;* nec Graeci aliter, ut Soph. Antig. 788 et Ajac. 458, quare nec opus est cum Cortio ad Lucan VIII. 188 scribi *cui grata domum lictor tulit.*

31) Solus Lugdunensis in priori loco habet *dictatorem;* inferius autem et ipse *dictaturam* servat facilisque suspicio est eodem errore post *te* masculinum poni potuisse, quo in ipsis poëtae verbis, ob antecedens *quem* scriptum esse videtur. Palimpsestus certe Maji, si revera eum edit. Amstel. a. 1681 concinit, non *quum* sed *quem — dictatorem* praebet, unde hanc vocem prius quam illam corruptam esse colligimus.

esse ostendunt loci Virgiliani Aeneid. II. 393, VII. 640, et insignissimus omnium Statii Silv. II. 7. 124:

haec te non thiasis procax dolosis
falsi numinis induit figuras.

V. 76 Briseidem Accii tragoediam, quamvis nuper demum Schöllius pro certa et explorata posuit [32], nullam fuisse praeter scholiastam, cujus explicationem in superiori disputatione illustravimus, palimpsestus quoque confirmat, qui *Brisei — Acci* exhibet: utque v. 87 dubitari possit, utrum cum scholiasta nostrisque codd. ABFGHIKMNO *bellum hoc bellum est*, an cum Ebneriano et Casaubono, quibus etiam palimpsesti auctoritas accedere videtur, *bellum hoc hoc bellum* scribamus [33], mox certe v. 93 *versum dicit*, quod in scriptis scholiorum exemplaribus etiam plenius quam in editis pro lemmate antecedit, praeter nostros CEFI ipsius Casauboni et palimpsesti testimonio juvatur. V. 97 quid scholiasta legerit, pro certo erui non potest; solus Lugd. habet *ut ramale uetus p. s. c.* hoc est *praegrandi subere coctum*, quod et poëtae codd. nostri omnes, et palimpsestus, ut videtur, exhibent; equidem verò

32) Beiträge zur Kenntniss d. trag. Poesie d. Griechen, Berol. 1839 8, T. I, p. 418, ubi vel fragmenta ejus tragoediae sibi invenire visus est; cautius jam Nieberdingius de Iliade a L. Attio in dramata conversa, Conitz 1838. 4, p. 5, inque primis Welckerus die griech. Tragoedien T. III, p. 1395: *wenn irgend eine, so ist die in so vielen Ausgaben aufgenommene Emendation Briseis verkehrt und zerstörend.*

33) Lugd. noster C. in poëtae verbis solum habet *bellum hoc bellum*, ut ambiguum sit, utrum *hoc* an *est* exciderit, nec multum absum quin in repetito *hoc* facilius errari potuisse, *est* autem hiatus demum explendi causa insertum esse dicam. Omnium vero deterrima est Achaintrii, Orellii, Weberi lectio, qui ipsum *bellum hoc* iterarunt, quum in altero membro multo major vis esse debeat in *hoc* ad declarandum, quam inepta illa praedicatio huic potissimum orationis generi sit.

contra manifestam veterum grammaticorum auctoritatem [84]) non magis recipiam quam v. 100 ex eodem Lugdunensi *sectum* pro *raptum*, cui etsi Norimbergensis quoque scriptura *secum* favet [85]), a poëtae tamen codd. exigua tantum HMNO suffragia accedunt, multoque major glossematis suspicio inest, quam in *raptum*, quod ipsum potius explicatione indiget. Gravius eorundem librorum testimonium v. 103 confirmat vulgatam *vena ulla*, pro qua frustra nuper Majus palimpsesti sui corruptelam *venulla* commendavit [86]), nec Schrevelianam lectionem *pars ulla* moramur, quam ne quis ipsis scholiastae verbis defendat: *si in nobis aliquid paternae virtutis remansisset*, et: *si aliquam partem haberemus, qua patres esse possemus* [87]), his iisdem in utroque nostro claris verbis vulgata pro lemmate praefigitur. De reliquis hujus satirae varietatibus v. 126 lectionem *inde*, quam et codd. nostri omnes tuentur, scholiastae quoque explicatio satis et firmat et illustrat; *illorum scriptis accensus veniat, qui vult mea carmina legere*, ut nihil causae sit, quapropter cum Britannico, Marcilio, Plumio *unde* corrigamus [88]); eademque ratio est v. 128, ubi Casaubonus, Reizius, Achaintrius praeter omnem necessitatem neque externis argumentis sufficientibus

84) Servii quidem (ad Aeneid. XI. 552) ipsi codices variant, quanquam Lion ibi nunc *vegrande* praetulit; manifesta autem est Porphyrionis auctoritas ad Horat. Serm. I. 2. 129, qui hoc ipso consilio nostro versu utitur, ut usum praefixi *ve* inde illustret.

85) Oehlerianus prorsus ridicule: *et raptus vitulo caput ab altero superbo*.

86) Cf. Hauthalii judicium Beiträge p. 455.

87) Sic enim ex utroque nostro legendum est pro editis: *si aliquam partem haberemus bonorum, quae patres priores habuerunt*, quibus tamen jam Pithoeus saniora ex Msto suo ad marginem opposuit.

88) Cf. et F. C. R. Ritter spec. annott. ad Persii Sat. I, Marb. 1833. 8, p. 27.

poscit pro *possit* scripserunt [39]), et v. 129, ubi ne Ebneriano quidem nostro hoc dandum censemus, ut cum Pithoeo, Plumio, Dübnero *eque* pro *sese* restituamus [40]); v. 131 autem vel contra majorem codd. numerum scholiastae lectionem tuemur:

nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas [41]);

quam ab iis tantum mutatam esse apparet, qui elegantis praepositionum in priore membro omissionis ignari [42]) aut *abaco* aliud regimen quaerendum esse aut *sectum pulverem* eodem jure quo illum praepositione carere posse arbitrabantur.

Sat. II. v. 5 scholiastam legisse *libabit* docet interpretatio: *id est sine hostia aut tacita prece acerra libabit*, quae et Mstis Lugdunensi et Oehleriano firmatur, nec Norimbergensis corruptela *acerra liau* in tanta hujus permutationis proclivitate [43]) sufficit ad

39) *Poscit* esset quasi postulat, ἀξιοῖ, h. e. *justum, rectum censet*; sed ut mittam *poscendi* verbum non tam late patere quam *postulandi*, vel major vis est vulgatae lectionis, quae vilissimam irrisionem per ludibrium in audax et arduum facinus mutat, neque offendit post indicativum *gestit* conjunctivus *possit*, quia dicere a condicione pendet, gestire non.

40) *Seque* sequentia tanquam tertium pravae cavillationis exemplum prioribus adjungeret, quasi dixisset: *et qui . . credat;* praestat tamen in ipsa illa severitate municipali velut rudimenta agnoscere, quibus elatus vilis ille cavillator jam ad alia genera accedat, quae simili impunitate vexare liceat.

41) Hauthalius enim cum nonnullis codd *abaci* scripsit, quia concinnior fiat oratio numerique *in abaco* potius fuerint, alii autem ut nostri quoque B E F I K praepositionem etiam post *secto* mittunt.

42) Cf. Catull. XXVIII. 5: *cur non exilium malasque in oras itis*; Ovid. Metam. XII. 124: *inde velut muro solidave a caute repulsa est*; Stat. Silv. I. 2. 56: *an terris saevire an velit in undis*, pluraque apud Hand. ad eund. p. 413, Bentl. ad Horat. Od. III. 25. 2, Cort. ad Lucan. II. 85, Weber. ad Juven. p. 171 etc.

43) Cf. Osanni disp. de tabula patronatus etc. Gissae 1839. 4. p. 13 sqq. Recte etiam Hauthalius p. 98: *festzuhalten ist aber besonders, dass in den Handschriften libavit keine absichtliche Variante einer alten Recension, sondern nur eine graphische Verwechselung, ein*

tuendam Reizii lectionem *libavit*, quae ut ex aoristo perfecti usu explicari possit, tamen et codd. nostrorum F G H K M N O commendatione non sane locuplete utitur, et quum eadem repetitae actionis significatio in futuro tempore inveniatur 44), nostro certe loco hoc etiam magis convenire videtur, quia non de die omnibus communi sed de natali agitur, quem quisque, ubi advenerit, tali modo illustraturus sit. V. 9 quod primus nuper post Pithoeum Hauthalius restituit *murmurat* pro *immurmurat*, quum scholiasta quoque legisset, ipse etiam tum incertus haerebat; nos vero idem non in poëtae tantum exemplaribus nostris praeter deterrimos H M N O omnibus invenimus, sed etiam scholia hic quoque cum optimis exemplaribus convenientia deprehendimus, quorum lemma, quum in editis minus plenum legatur, scripta nostra unanimi consensu *m.* id est *murmurat* exhibent. Nec v. 10 dubitari potest quin id quod Hauthalius codd. omnium ratione diligenter subducta restituit *ebulliat pătruus*, scholiastae quoque ante oculos fuerit; cujus etsi edita exemplaria *pătrui* in lemmate offerunt, explicatio tamen, qua *ebullit* idem quod *expirat* esse dicitur, *patruus* potius lectum esse docet, idemque claris verbis in omnibus nostris Mstis legitur, quamvis in textu Lugd. C cum A E *ebullit patrui*, Oehlerianus P cum G H M *ebullat patrui* exhibeant. Omnino inter ipsos poëtae codd. nostros solus B scholiastae lectionem firmat, nisi I eodem referamus, unde *patruis*

Irrthum der Abschreiber ist, der in den alterältesten wie in den jüngern ganz gewöhnlich ist etc.

44) Cf. Casaub. ad h. l. et Cludii obss. gramm. Lyk. 1830. 4, p. 8 sqq.

enotatum est; reliqui omnes *patrui*, etiam FNO, qui alteram vocem *ebuliat* scribunt; ipsa tamen sententia nominativum flagitat, quia funus cum bulla comparari non poterat, anima autem humana, quam et vulgus et multi philosophorum apud antiquos cum aëre confuderunt [45]), etiam corporis vincula aëris inclusi instar per bullas relinquere videbatur [46]). Nec de conjunctivi necessitate dubitari patitur aut Horatii locus, quem Persium imitando expressisse manifestum est [47]), aut Servii testimonium [48]), qui *o si* ita conjunxit, ut alteri constructioni, qua *si* ad protasin hypotheticam relato, *o praeclarum funus* in apodosi ponatur, locus vix maneat; sin vel maxime ambigi possit, formam *ebulliat* cum Hauthalio per synizesin pronunciemus an ad prisci sermonis similitudinem confugiamus, qua et *ebullat* ut *pervenat* pro *perueniat* [49]) et *ebullit* ut *edit* pro *edat* vel *ederit* [50]) dici posse videatur, scholiastae tamen auctoritatem in

45) Plat. Phaedo p. 70 A, 84 B; Aristot. de anima I. 2. 15; Theophr. de sens. §. 39; Stob. ecl. phys. p. 922: *εἰ δὲ παρέσπαρται μὲν καὶ ἔνεστιν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι καθάπερ ἐν ἀσκῷ πνεῦμα κ. τ. λ.*

46) Cf. Petron. 42, Senec. Apocol. 4, inque primis Epicur. apud Gregor. Nyss. de resurr. in Wolf. Anecdd. T. II, p. 305: *καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν πομφόλυγος δίκην ᾤετο πνεύματί τινι τοῦ σώματος ἡμῶν παραταθέντος κ. τ. λ.*

47) Serm. II. 6. 8: *o si angulus ille proximus accedat . . o si urnam argenti fors quae mihi monstret* etc.

48) Serv. ad Virgil. Aen. VI. 187, quem ita Lion edidit: *si adverbium rogantis et optantis est per se plenum, sicut et o, quanquam neoterici haec jungant et pro uno ponant. Persius: o si ebullat Guelf. I L. V. R. ebulliat; V. ebullit patruus; Lips. sic o si ebulliad patruus; Guelf. I. etiam patruus) patrui praeclarum funus* etc.

49) Plaut. Rud. III. 4. 12; Trinumm. I. 2. 56.

50) Horat. Epod. III. 3, ubi Orellius comparat etiam Cicer. ad Famil. IX. 20: *ne ego te jacente bona tua comedim.*

his quoque plurima Servii exemplaria sustentant. V. 15 noster F *tyberino gurgite* sine praepositione, HMN *tiberino in flumine*, scholiastae autem libri omnes cum antiquioribus Persii codd. recte *tiberino in gurgite*; iidemque v. 19 claris literis confirmant lectionem *cuinam cuinam*, cui quum Achaintrius et Passovius cum multis antiquis codd. substituerint *cuiquam cuinam*, iterationem interrogationis et codd. optimorum nostrorumque ABCE consensus et Platonici loci comparatio tuetur, qui haud scio an ipsi Persio obversatus sit [51], ut mittam difficultates, quas recte Weberus alteri lectioni ab ipsis sermonis legibus obstare intellexit [52]. V. 37 itidem Hauthalii lectio *optet* pro *optent* optimis nostris et scholiorum et ipsius poëtae codd. ACIK firmatur, nec B repugnat, qui a prima certe manu singularem habet; v. 42 autem iisdem auctoribus ad *grandes* potius ducimur; cui quod Hauthalius cum Passovio, Orellio, Plumio, Dübnero substituit *pingues*, inter nostros EFGK tantum tuentur, nec quod in E *grandes* pro var. lect. suprascriptum est, efficiet ut hoc pro glossemate habeamus, quum eodem modo in B antiquae lectioni

---

51) Plat. Phaedr. p. 236 E: *ὄμνυμι γάρ σοι — τίνα μέντοι, τίνα θεῶν; ἢ βούλει τὴν πλάτανον ταυτηνί;* unde etiam hoc apparet, alterum *cuinam* non ut multis visum est collocutori, sed eidem utrumque poëtae tribuendum esse.

52) Recte Weberus p. 35: *nam si Latini quisquam in interrogatione utuntur, exspectamus ut interrogatus rem de qua quaerimus neget*; cui nollem obloeutus esset Hauthalius. Nam quod negat necessarium esse ut responsum sequatur, nihil efficit, quia ipsa interrogatione, quae per *quisquam* fit, responsio negativa jam praecipitur, ut apud Cic. Off. III. 21: *potest enim cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae?* nunc autem is ipse, qui interrogat, non Jovem cuiquam praeponendum esse negat, sed unum duntaxat quaerit, qui adeo vilis sit, ut ei certe Jupiter praeponendus videatur.

grandes appictum sit *vel pingues*; immo multo verisimilius est mutationem ab eo factam esse, qui *tucetis crassis* simile adjectivum adjicere vellet, poëtam vero *grandes patinas* scripsisse, ut cum gulositate simul etiam voracitatem hominum et ciborum copiam notaret. Difficilius est judicium de v. 47, ubi edita scholia nihil omnino lemmatis habent, nec Norimbergensia plus quam primas literas offerunt *t. s. c. i. i. o. l.*, ceteri autem suum uterque textum sequentes Lugdunensis *in flamma*, Oehlerianus *in flammas* exhibent, utque Casauboni scripturam *in flammis* mittamus, quae quamvis a plerisque recentiorum editorum recepta nostrorum certe codd. nullo commendatur, hi ipsi in diversas partes abeuntes alii ut BC in *flamma*, alii ut AEHMNOP *in flammas* scribunt, alii denique omissa praepositione aut *flammis* (FK) aut *flamma* (G) legunt; — quidquid tamen eligamus, inter eas tantum lectiones optio dari videtur, quas in scholiorum libris exstare dixi. Nam quod Hauthalius solum *flamma* legi mavult, nec nostris neque ipsius ut videtur codd. satis confirmatur, quos ipse *in flammas* potius suadere fatetur, nec quod hoc Latine dici posse negat, in tanta praegnantis constructionis licentia apud poëtas quenquam deterrebit [53]; habet tamen etiam *in flamma* quo se tueatur Catulli versum XC. 6:

omentum in flamma pingue liquefaciens,

ubi nihil profecto causae apparet, cur eidem Hauthalio obtemperantes praepositionem eliminemus, nec si utramque codd. lectionem

53) Cf. Jacob. Quaestt. epic. p. 50 et 104.

comparamus, tam facile accusativus in ablativum transiisse videtur, quam hic in illum mutari poterat, ubi primum plurali *flammis* pro singulari substituto, huic ipsi mox pro correctura *a* superscribebatur; quapropter haud scio an hic quoque ea scriptura praeferenda sit, quae in ceterorum testimoniorum libramento uno quidem at egregio scholiorum codice commendetur. V. 48 obiter tantum moneo lectionem *et tamen*, quam multi recentiorum cum Pithoeo et Casaubono pro *attamen* receperunt, nec scholiastae neque unius nostrorum codd. auctoritate confirmari; nec v. 54 dubitari potest quin unice recte legatur *excutias*, quod et scholiastae libri omnes et Persii plurimi tam alieni quam nostri praeter unum E tuentur, nisi quod in C posterior manus *s* in *t* mutavit; ibidem vero etiam infinitivus *laetari* utroque nostro scholiorum exemplari membranaceo [54]) ita stabilitur, ut nec *laetatur*, quod in paucis infimae aetatis codd. exstat, neque ex Hauthalii conjectura *laetaris* legendum censeamus [55]). Illud quoque quod v. 55 Webero inconsidera-

---

54) Oehlerianum hic quoque corrupte *laetatur pertrepidum cor*, quod ex poëtae codd. solus G exhibet. *Pertrepidum* tantum facili confusione etiam F et schol. Norimb. legunt; sed vulgaris lectio jam Prisciani testimonio quamvis misere lacerato VI. 5. 27 firmatur.

55) Seduxit hunc lemma in editis Cornuti exemplaribus *laetaris pertrepidum*, quod quum nec poëtae codice ullo nec scholiorum membranis confirmetur, recenti correctori deberi apparet neque explicatio addicit, quae quod secunda persona concepta est: *propter sudorem prae gaudio natum toto corpore trepidabis*, non ad *laetaris* sed ad *trepidum* pertinere manifestum est, quod per appositionem cum subjecto verbi *excutias* cohaeret. Totum enim locum ita interpretor, ut homo trepidus ad laetitiam (Jacob. Qu. epic. p. 91) sudet et nimia animi perturbatione, quae cordis agitatione declaratur, lacrimas profundat ut Alcibiades apud Plat. Symp. p. 215 E: *πολύ μοι μᾶλλον ἢ τῶν κορυβαντιώντων ἥ τε καρδία πηδᾷ καὶ δάκρυα ἐκχεῖται ὑπὸ τῶν λόγων τῶν τούτου*: quin in interpretatione quod homo

tae mutationis ansam dedit, *subiit*, claris scholiastae literis tutum esse vix est quod moneam [56]); gravius autem testimonium est Lugdunensis et Oehleriani nostri ad v. 69 pro lectione *sancto*, quam a plurimis poëtae codd. ipsisque nostris GEHKMNOP servatam plerique tamen recentiorum miro fastidio repudiarunt adeoque Latine dici posse negarunt, etsi ipsum Alexandrum Severum imperatorem ita et legisse et dixisse norant [57]); utque audacius egisse Achaintrium concedam, qui indidem pluralem *sanctis* nullo codice firmatum recepit, *sanctum* tamen templum non minore jure dicetur quam *sancti luci* apud Ovid. Met. XV. 793, hoc est qui sine nefario scelere violari nequeant, quae ipsa poëtae nostri sententia est, ut auri natura profana templorum sanctitatem violari dicat [58]). Postremo v. 74 valde memorabile est, quod in utroque nostro membranaceo legitur *incocto generosum pectus honesto*, praesertim si Lactantii auctori-

per synecdochen *cor* appellatur, quia omnia, quae de eo praedicantur, cordis commotione fiunt, eo minus offendere potest, quo clarius ipse Persius Sat. VI. 10 *cor Enni* in circumscriptione posuit; quod autem Hauthalius infinitivi constructionem ab adjectivo *praetrepidum* alienam esse judicavit, quia nullo alio loco cum illo jungatur, magnus profecto locorum numerus in suspicionem caderet, si nullum eorum exemplorum, quae Vechnerus Hellenol. p. 301 sqq. aliique viri docti sup. not. 23 laudati congesserunt, ratum firmumque esse vellemus, nisi aliud prorsus geminum illi responderet!

56) Productionem ultimae in *subiit* tuentur Virgil. Aen. VIII. 363, Stat. Theb. X. 25, pluraque exempla apud Bach. ad Ovid. Metam. I. 114. et Loers. ad Trist. III. 15. 36.

57) Apud Ael. Lamprid. V. Alex. Severi c. 44: *in templis sane nunquam praeter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, susurrans versum Persii:* in sanctis quid facit aurum?

58) Döderlein lat. Synon. u. Etymol. T. III, p. 198: *nämlich sacrum ist wie ἱερός das Heilige insofern es ein Eigenthum der Götter ist, im Gegensatze von profanus; sanctum aber wie ὅσιος, insofern das Heilige unter den Schutz der Götter gestellt und vor Entweihung geschützt, mithin rein und makellos ist, im Gegensatz von pollutus.*

tatem contuleris, qui Instit. div. VI. 2. 12 priore Persii loco v. 29 laudato: *sentiebat*, inquit, *videlicet, non carne opus esse ad placandam caelestem majestatem, sed mente sancta et justo animo, et pectore, ut ipse ait, quod naturali sit honestate generosum*; sed explicatio certe scholiastae *incoctum* ad *pectus* referri jubet: *incoctum id est valde coctum ac maturitate animi et honestatis plenum;* quumque hoc servato nec *generosum* cum Passovio legi sermonis leges patiantur, ex solo duorum librorum lemmate sine ullo codicum ipsius poëtae adjumento nihil novarum rerum repetere licebit.

Sat. III. v. 1 in edito legimus *nempe hoc assidue*, itaque in poëtae quoque verbis a Reizio inde recentiores praeter Achaintrium omnes, quanquam ipse Hauthalius majorem codd. numerum cum antiquis edd. plurali favere concedit; eundem vero etiam nostri ABCEF et scholiorum exemplaria Lugd. et Norimb. exhibent, neque Oehleriani corruptela *hac* ad *hoc* potius quam ad *haec* conducit, quod in tanto probatissimorum testium consensu eo certius vindicari posse arbitror, postquam apud Priscianum quoque a recentissimo editore restitutum est [59]). Major codd. dissensus est v. 2, ubi quum in editis lemma mutilatum sit, in Lugdunensi quidem perscribitur *et angustas extendit lumine r.*, in Norimbergensi vero et Oehleriano legimus: *angustas* (Nor. *angustias*) *ostendit lumine*, eamque lectionem etiam poëtae libri satis boni afferunt ACI; nec tamen

59) Priscian. XV. 5. 33, ubi Krehlius p. 632 haec annotat: *haec pro hoc scripsi auctoritate codd. Mss. Zwicc. 2. Heidelb. Lips. 2. Dresd. Erl. 2.*

vel hic dubitari potest, quin scholiasta legerit *extendit*, quia sic explicat: *mane scilicet* (codd. addunt *vel*) *per rimas fenestrarum se tota lux infundit, ut capi non possit*; eoque majorem Lugdunensis auctoritatem habemus, quia ejus lectio in scholiis ab ipsa textus scriptura discrepat. V. 9 scholiasta quoque legit *findor ut*, cui quod Reizius, Passovius, Weberus, Orellius substituerunt *finditur*, quamvis a me ipso olim defensum, nunc retracto, postquam nec codices meos praeter unum O nec grammaticorum quenquam qui hunc locum laudant [60]), ei patrocinari intellexi; immo nec Hauthalii conjectura *findimur* opus fore arbitror, modo ne cum scholiasta ceterisque plurimis ad Plumium usque interpretibus antecedentia quoque *turgescit vitrea bilis* juveni tribuamus, sed ita potius rem informemus, ut Persius narret, quemadmodum ille servos increpet tandemque ingruente ira *findi se* tanto cum strepitu clamet, ut qui adsint asinum rudentem audire sibi videantur. Antiquior ibidem varietas est lectionum *dicas* et *credas*, qua jam Servius et Eutychius grammatici in diversas partes abeunt, ut nihil mirum sit praeter HMNO etiam Ebnerianum *credas* exhibere; ceteri tamen nostri praeter G, qui utramque jungit, *dicas* offerunt, eamque etiam scholiastam praetulisse non lemma solum, quod in utraque membrana nostra plenius exstat, verum etiam ipsa explicatio docet, unde *credas* per glossema tantum in verba poëtae irrepsisse facile cum Hauthalio colligimus. V. 19 edita scholia habent *bicolor*

60) Cf. Serv. ad Aeneid. VIII. 248 et Georg. III. 328; Eutych. II. 4, p. 180 Lindem.

positis, itaque etiam codd. nostri BC aliique haud exigui cum editoribus post Casaubonum praeter Weberum utrumque omnibus; in Mstis autem scholiorum exemplaribus ipsoque Lugdunensi vel contra textum lectio *positis bicolor* servata est, quam non propter Isidori tantum auctoritatem [61]), sed etiam eam ob causam praefero, quia *bicolor positis membrana capillis* ipsius duplicis coloris causam in capillis positis haberet, secundum nostram autem lectionem primum capillos posuit, deinde a confectore, ut Isidori verbis utar, una parte tincta i. e. crocata est [62]) V. 12 et 14 verissima lectio *querimur,* quam etsi primus nuper post diuturnum exilium Hauthalius quasi postliminio reduxit, tamen nostris quoque CEI ducibus probare non dubitamus, in eo certe scholiorum exemplari, unde primum edita sunt, itidem exstitit; nec si ea glossa a libris nostris pariter ac Pithoeanis abest, de ipsius scholiastae auctoritate desperamus, quem non narrationem sed colloquium in hoc loco legisse etiam sequens explicatio ostendit: *et eum reprehendit quod quaerendo*

61) Origg. VI. 11. 4.

62) Sic apud Virgil. Aeneid. I. 4 decussata verborum structura *saevae memorem Junonis ob iram* saevitiam cum memoria multo arctius jungit quam si poëta scripsisset *memorem saevae,* quo facto *saeva* omnino Junonis mores declararet, ut I. 127 *summa placidum caput extulit unda,* ubi recte Heynius: *proprium hoc deo ac perpetuum habendum,* cf. et Jacob. Qu. epic. p. 66; contra IV. 120 *nigrans commixta grandine nimbus* significat nimbum nigrantem, cui grando commixta sit, non qui grandine commixta nigret, quem potius *commixta nigrantem grandine* dixisset. Alia quidem nostri loci causa esset, si duplicem colorem cum Casaubono ab ipsis capillis repetere liceret, ut membrana ab interiore parte alba, ab altera, *in qua fuerant pili,* crocea fuerit; sed nec nostra nec *croceae membrana tabellae* apud Juvenal. VII. 23 naturalem hunc colorem gessit, sed tingendo demum accepit; cf. Beckeri Gallum T. I, p. 160.

(leg. *querenda*) *hoc et illud tempus perdit nec proficit*, vel ut rectius etiam nostri codd. scribunt, *et reprehendit se*, quibus haud scio an ipsa illa ficta primae personae pro secunda appellatio recipiatur. V. 10, ubi in editis est: *palumbos et columbos melius est, ut pueros intelligamus*, iterum in scriptis nostris omnibus ita potius legitur: *columbos melius pueros intelligere, quia qui nutriunt blandientes columbos et pullos et passeres vocant*, ut jam scholia quoque idta! ad eorum partes accedant, qui cum nostro C lectionem *columbo* tuentur, eamque et ipse nunc vel contra majorem codd. meorum partem ABEFHIMNOP cum Casaubono, Plumio, Hauthalio eo fidentius praefero, quo rectius jam Servius hunc locum ad mansuetam et domesticam avem retulisse videtur [63]. V. 46 erat quum *discere* quam *dicere* scribi mallem, quia lippitudo puerum non a declamandi officio, quod memoriter fiebat, sed ab ediscendi legendique necessitate liberabat, et sequentia: *quae pater audiret*, exspectationem discenti potius quam dicenti propositam indicare videbantur; in utroque tamen codice meo C et E legi *dicere*, cui posterius demum in Ebneriano *s* superscriptum est, nec scholiastae aliud ante oculos fuisse colligimus ex interpretatione: *quae puer facit ne in scholam iret: merito, inquit, mihi lippitudinem adversabam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem* etc., quapropter in hac scriptura Casaubono, Reizio, Achaintrio,

63) Serv. ad Aeneid. V. 213: *ubique de his domesticis columbas Virgilius dicit; Persius vero ait: teneroque columbo* etc. Cf. et Catull. XXIX. 9: *ut albulus columbus aut Adoneus.*

Hauthalio libenter accedo. Alia vero causa est ibidem lectionis *non sano*, quam etsi iidem editores praetereaque Weberus, Orellius, Plumius receperunt, nec codd. tantum nostri B et C sed vel scholiorum membrana utraque in lemmate prae se ferunt, ipsa tamen scholiastae explicatio ex glossemate tantum ortam esse docet, quo vetus aliquis librarius ambiguitatem tollere volebat, quam antiqua lectio *insano* continere videbatur. Sic enim scholia edita pariter ac scripta, sive *insano* sive *non sano* in lemmate habent, pergunt: *id est nimis sano, ut est illud Virgilii: insanam vatem aspicies* (Aen. III. 443) *pro valde sanam; aut certe insano, qui discipulorum suorum carmina laudabat, cum aliorum debuerant judicio comprobari*, quae non ad *non sano* sed ad *insano* pertinuisse etiam Ebnerianus noster ostendit, ubi lectioni *insano* pro glossa superscripta sunt; sin quem offendat vocabuli *insano* in medio scholio repetitio, facilis conjectura est antiquam ejus formam hanc fuisse: *insano i. e. nimis sano ... aut certe non sano, qui discipulorum* etc., unde jam sponte intelligeretur, quomodo altera lectio inter ipsius poëtae verba venire potuerit. *Non sano* certe quomodo ab ullo unquam grammatico explicari potuerit *nimis sano*, non concoquimus; *insano* autem ex usitato illius nationis more [64]) facile potuit ab eo, qui muneris sui dignitatem laedi arbitraretur apud discipulos, si magistrum non sanum describi legissent; utque mittam lectionem *ab insano*, quam a Passovio instauratam infimae tantum

64) Doederlein. de ἄλφα intensivo sermonis Graeci, Erlang. 1830. 4, p. 23: *ne a Latino quidem sermone intensivus partic. in usus abhorruit, quanquam is quoque in glossariis crebrior quam in ipsis veterum libris* etc.

aetatis codices ut nostri FG tuentur, non ex *non sano* sed ex solo *insano* oriri potuisse, ipsa copula *et*, quam a glossatore demum insertam esse Hauthalius arguit, tantum abest ut constructionis ordinem turbet, ut ita demum cavillatio quae in *grandia* continetur clare appareat et durities illa tollatur, quae in duabus sententiis explicativis sine vinculo excipientibus cernitur; quod etsi fieri posse non nego, nunc tamen vis orationis misere discerpetur, nisi magistri mentione ad argumentum declamationis relata consilium in sola patris auditione positum relinquimus. Brevius defungi possumus v. 56, ubi lectio ab Achaintrio et Hauthalio revocata *deduxit* et scholiorum libris nostris omnibus et ipsius poëtae codd. AB (a prima manu) FG firmatur, idemque Isidorum legisse jam Weberus monuit [65]; nec v. 60 dubitari poterit, quin unice recte cum scholiasta scribatur *et in quo dirigis arcum* [66]), non *in quod*, quod licet editores et veteres multi et recentiores post Casaubonum fere omnes receperint, codd. tamen nostrorum ne unus quidem praeter Ebnerianum

65) Edit. Teubn. p. 42: *deduxit melius est quam quod dedi diduxit, Servii verbis ad Aen. VI. 136 deceptus, qui: novimus, inquit, Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literae; sed gravior est Isidori Origg. I. 3. 7 auctoritas* etc. De commutatione v. *diducere* et *deducere* idem laudat Drakenborch. ad Sil. Italic. XV. 184, cui addi potest Corte ad Lucan. II. 294 et Loers. ad Trist. p. 17; sed et ratio lectionem *deduxit* magis commendare videtur, si quidem non de sola discrepantia viarum, sed etiam de fine agitur, quo utraque ducat; cf. Jahn. in NJbb. 1839, T. XXVI, p. 279.

66) Hoc enim in Lugdun. claris literis perscriptum est; in reliquis autem etsi minus plenum lemma est, interpretatio tamen eodem conducit: *proposuistine tibi aliquod genus vitae, quod sequi debeas et in quo nervos animi extendas*, unde simul etiam illud apparet, lectionem *quo* non inde derivari posse, unde Hauthalio placuit, ut extremam litera a prima sequentis verbi haustam dicamus.

ex correctura tuetur; grammaticae autem leges, quibus vel Hauthalius motus est, ut ancipiti inter librorum auctoritatem et sermonis quem putabat usum religione novam sed satis infelicem conjecturam *en quo* tentaret [67]), neutiquam adeo severae sunt, ut non sexcenties *in* cum ablativo junctum inveniamus, ubi vulgaris consuetudo accusativum postulabat [68]). V. 66 ne quis editis scholiis deceptus antiquum complementum credat *discite et o miseri,* in quo Passovio soli nostri FG suffragantur, non poëtae tantum vetusti nostri ABCDEI sed etiam scholiastae libri omissa copula hiatum firmant, qui ante interjectionem nihil dubitationis habet [69]); eademque ratio est v. 68, ubi lemma in editis mutilum in tribus Mstis meis plene ita scribitur: *metae quam mollis flexus*, eamque lectionem etiam Persii codd. nostri omnes praeter unum E ita commendant, ut

67) Beitr. p. 201: *durch diese Conjectur habe ich den Sinn aufs Beste herzustellen gesucht, ohne den Sprachgebrauch zu verletzen oder der Darstellungsweise des Persius untreu zu werden;* at ut mittam languorem conjunctionis, qua particula omnium vividissima per copulam cum antecedentibus conglutinetur, neutram earum significationum, quas Handius Tursell. T. II, p. 369 illi interjectioni tribuit, in hunc locum cadere arbitror, quia poëta non certam aliquam rem respicit, in quam aut alterum oculos suos conjicere jubeat aut ipse ejus adspectu stupet, sed hoc ipsum in altero reprehendit, quod nullum certum finem sibi proposuerit.

68) Cf. Wopkens. lectt. Tull. p. 301, Beier. ad Cicer. Lael. p. 68, Goerenz ad Cic. de Fin. V. 30, inque primis Hand. Turs. T. III, p. 295, qui et licentiae poëticae et sermonis posteriore aetate depravati tot exempla attulit, ut vel horum comparatione nostra lectio tuta esse possit. Sed nec rationem si quaerimus desiderabimus, comparato ipsius nostri Sat. I. 6: *examen castiges in illa trutina*, ubi pariter *in* cum abl. significat normam, qua quis ad rem dirigendam et a pravitate erroribusque defendendam utatur; cf. sup. not. 14.

69) Cf. Catull. III. 16: *o factum male! o miselle passer!* pluraque apud Gifan. ad Lucret. p. 262 Haverc.

nihil causae videam, cur cum Orellio, Plumio, Dübnero, Hauthalio ad Pithoeanam *qua* revertamur [70]). Num ex altera lectione *mollis* epitheti tantum locum obtinet, quo flexus notio amplietur, quaeriturque qua via ac ratione mollis ille flexus fiat; ex nostra autem ea potius quaestio est, quanta mollities huic ipsi flexui conveniat, neque intelligimus, cur huic lectioni minus respondeat *unde*, hoc est quo ex loco flectendi initium faciendum sit, ut justa flexus mollities evadat; de difficultate denique, quam Hauthalius juveni Romano discendam fuisse negat, omnino non agitur, sed de cautione in flectendo, quam jam Nestor apud Homerum Antilocho suo commendavit [71]), quoque rectius idem mollitiae vim in hac re explicavit [72]), eo magis miror ei lectionem displicuisse, qua haec ipsa cum summa vi in praedicato ponitur. V. 78 haud scio an scholiorum explicatio: *sufficit mihi naturalis sensus nullaque de philosophia eruditione delector*, ad Pithoeanam potius scripturam conducat, quae a Casaubono et Passovio probata jam etiam utriusque mei scholiastae mem-

---

70) Hauthalius quidem ipsam scholiastae explicationem in suae lectionis patrocinium adhibuit: *id est unde et ubi vertamur vel quem ordinem vivendi natura constituerit;* sed ut vel maxime concedam *ubi* ad nostrum membrum referendum esse, etiam majori jure ad lectionem *quam mollis* trahetur, quia ipsa flectendi mollities inde pendet, *ubi* currum nostrum vertamus, *qua* autem ad finem potius spectat, in *quem* vertamur. Ebneriani autem in hoc versu vel ideo minor auctoritas esse potest, quia idem paulo ante solus nostrorum pravam lectionem affert *datur pro datus;* quanquam indidem illud quoque prodit, hanc ipsam lectionem non ut Hauthalius putare videtur, saec. XV. demum ortam esse.

71) Iliad. XXIII. 822 sqq.

72) Beiträge p. 205: *dass nicht blos auf das Herumkommen um die meta kam es an, sondern darauf, dass dasselbe* ***leicht*** *und in einem* ***sanften möglichst kleinen Bogen*** *geschah* etc.

branacei lemmate commendari videtur: *quod sapio satis est mihi;* ipsum tamen Pithoei exemplar editum cum Oehleriano alteram lectionem servat, quam poëtae quoque codd. nostri omnes exhibent: *quod satis est sapio mihi*, nec Lugdunense sibi constat, quod postquam superius scripsit: *hic aliquis de gente hyrcosa centurionum dicat quod sapio s. e. m.*, ipsi explicationi alteram praemisit, cui etiam in Ebneriano glossa superscripta est: *sufficit mihi naturalis sensus*; quae quum ita sint, in tanta utriusque sententiae similitudine rem in medio relinquo. Major et scholiastae et ipsius poëtae codd. consensus est v. 79 in scriptura *sulones*, quam etsi primus nuper Hauthalius in ordinem recepit, testimoniorum tamen antiquitas vix dubitari patitur, quin consulto Persius imperito centurioni corruptam formam tribuerit, cui qui rectam substituerunt librarii ipsam acuminis partem corruperunt; meorum certe unus B cum recentibus FGHMNO vulgatam scripturam tuetur, nec melior est alterius nominis condicio, quod quum in editis vulgo *Arcesilas* scribatur, et scholia Msta et poëtae codd. ACEFGH cum Hauthalio *Archesilas* exhibent. V. 83 praeteriens tantum moneo Lunaeburgensis cod. lectioni *ventris* pro *veteris* apud Plumium nec scholiastae patrocinium accedere, qui nisi *veteris* legisset, non *diu aegrotantium hominum somnia* in interpretatione scripsisset; gravior autem ejusdem auctoritas ad v. 89 firmat lectionem *exsuperat*, quam etsi solus nostrorum C claris literis exhibet, eodem tamen etiam reliquorum omnium scriptura quamvis per se quidem metro repugnans *exuberat* conducit, quumque in utroque scholiorum codice Msto

claris literis *superat* perscriptum sit, variis virorum doctorum conjecturis eo facilius supersedemus, quo majore jure verbum cum praep. *ex* compositum ablativum *faucibus* regere potest. V. 93 Oehlerianus tantum cum paucis poëtae libris HMN editionibusque antiquis *levia Surrentina* [73], reliqui cum editis optimisque nostris, *lenia*, quod vel ideo praeferendum est, quia *levia* ornans tantum epitheton foret, *lenia* autem peculiarem hujus vini virtutem declarat, quae propter tenuitatem salubritatemque convalescentibus maxime idoneum videbatur [74]; eademque causa est v. 106, ubi ne commemoranda quidem videretur ejusdem Oehleriani scriptura *inducto*, pro *induto*, nisi inde explicaretur depravatio *obducti*, quam in recentissimis tantum nostris HMNO repertam a Plumii quoque editione abesse mallem; v. 100 autem maximo scriptorum omnium meorum consensu damnatur *triental*, quod licet et editorum scholiorum lemmata offerat et Casaubonus Beiziusque in ordinem receperint, de ipso tamen libro Puteaneo, cujus hoc auctoritate factum dicebatur, Achaintrius et Dübnerus dubitarunt, utque in aliquo codice Msto exstiterit, ex interpretatione tantum proficisci potuit, praesertim quum alibi quoque pocula passim *trientes* nuncupentur [75]. V. 108 quod in editis minus plene scriptum est, lemma in Mstis ita expletur, ut Norimb. et Oehler. cum vulg. *attinge*, Lugd. autem cum textu suo C et utroque Guelferbytano AB *attende* scribat; plures

---

73) Santen. ad Terent. Maur. p. 239.
74) Plin. Hist. Nat. XIV. 6, §. 64.
75) Propert. III. 10. 29; Martial. I. 107. 9; VI. 86. 1; IX. 88. 2; X. 49. 1.

tamen poëtae codd. nostri idem firmant, quod etiam scholiastae plures commendant, neque in sententia justior mutandi causa exstat quam v. 115, ubi codd. omnes et scholiasta in lectione *timor* consentiunt, Reitzianus vero *tremor* vel ideo rejiciendus est, quia hic ad solum corpus pertinet, poëta autem non de externis affectionibus, sed de internis animi perturbationibus agit, quas pares tantum cum morbis affectiones producere arguit.

Sat. IV unus tantum locus controversus est, ubi editorum scholiorum lectio ita cum Mstis concinit, ut statim ad poëtae scripturam dijudicandum converti possit, v. 38, ubi Achaintrius ex suis codd. scripsit *detonsis*, scholiasta autem cum ceteris editoribus *detonsus* exhibet, idemque unanimi nostrorum librorum consensu inter poëtae quoque verba ita confirmatur, ut dubitationi locus vix amplius remaneat; in aliis autem ea Mstorum nostrorum imprimis membranaceorum ab editis discrepantia cernitur, ut ipsa scholiastae lectio interdum ex poëtae demum comparatione intelligi possit. Quanquam in his quoque talem plerumque optimorum utriusque fontium consensum deprehendimus, ut et ipsi pondus, quod scholiorum auctoritati vindicamus, tueri magis quam minuere videantur; aut si vel maxime ad editam lectionem redeundum sit, tanta certe varietatis antiquitas apparet, ut nihilo minus in ceteris incorrupta Mstorum fides constet. Sic statim v. 1 eadem varietate qua superius Sat. III. 1 in editis scholiis scriptum est *hoc crede*, in membranaceo autem utroque *haec crede*, itaque etiam apud poëtam scribendum esse plurimi optimique et Hauthalii et mei A B C E G evincunt, dum *hoc*

praeter unum D recentissimos demum auctores HMNO habet, in F vero prorsus omissa voce *barbatum crede*, in P manifesta corruptela *hic* legitur; nec v. 3 scriptorum meorum lectionem *dic o magni pupille Pericli* editae *dic hoc* etc. praeferre dubito quae, etsi vel majore codd. numero ABDGHMNO commendatur praeterque Casaubonum et Reizium etiam Hauthalio placuit, optimus tamen noster Lugdunensis C claris ductibus interjectionem offert, eademque in Ebneriano E a secunda demum manu in *hoc* mutata est, Bruxellensis denique F utramque scripturam ita miscet: *quo fretus hoc dic o*, unde liquido appareat *hoc* pro glossemate superscriptum mox ab aliis alio loco intrusum esse. V. 33 demum temerarium fore arbitror, qui eosdem Mstos secutus *fricas* pro *figas* restituere conetur, cui stabiliendo ne ipsi quidem Persii codd. DEIP sufficiant; nam quod Ebneriani glossema superscriptum *ypallage* commendat, ut *solem in cute* pro *cutem in sole fricare* dictum sit, durissimum est, ipsamque corruptelae viam monstrat Pithoei scriptura *frigas*, quam etiam in Lugdunensi nostro secunda manus inserta litera *r* in vulgatae locum sufficere tentavit; alterius autem lectionis vel a scholiastae parte eo major auctoritas est, quum nec Pithoeana scholiorum editio nec Oehlerianus P textus sui scripturam sequantur sed *figas* retineant, utque hanc satis mature corruptam esse contrariorum testium antiquitati concedamus, constructionis tamen concinnitas et sententiae elegantia soli editae favent 76). Longe vero alia causa

76) *Figere in cute solem* Persius eodem jure dixit quo Juv. XIV, 2 *maculam haesuram figere rebus* i. e. res maculae et famae sinistrae exponere; plura dabit Gronov. Obss. IV, 8, p. 600.

est v. 35, ubi quum jam optimi nostri BCDE cum Oehleriano P pluresque Achaintrii pro vulgatis *despuat in mores* etc. ita potius scribendum esse suadeant:

est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
despuat: hi mores, penemque arcanaque lumbi
runcantem populo marcentes pandere vulvas!

eandem lectionem scholiorum quoque membranae ita confirmant, ut nec scholiastam aliter legisse nec Persium ipsum aliter edidisse animum inducam. Lugdunensis enim quae in editis minus plene exstant, claris literis sic explet: *est iuxta te quem nescis qui te sic vitiis ileditum emendat et puto* (editi *sputo*) *castigat: hi mores penemque archanaque l. r. e. p. m. p. u. depilantem. Runcari enim proprie segetes vel herbae dicuntur cum extirpantur* etc.; Norimbergensis autem, quum ceteroquin prorsus cum hoc conspiret, *in mores* per corruptelam tantum scribere poterat, si quidem is, cui edita lectio ante oculos esset, profecto non in *despuat* commentandi finem fecisset et post longas demum interpretationis ambages ad *in mores* rediisset, neque orationis structura a proxime antecedentibus *emendat et sputo castiget* ad *in mores* transire potest, sed ipsum castigationis argumentum ita demum apparet, ut *hi mores* per exclamationem sequi jubeamus; quod si poëtae quoque sententia addixerit, ab externis argumentis haec lectio satis tuto stare videtur. Atqui illam ipsam haud scio an nunc demum integritati suae restitutam dicere liceat. Vulgatae certe lectionis constructionem multum duri et manci habere quivis sentiet, quum

nemo adhuc satis explicuerit, unde tandem et accusativus *vancantem* et infinitivus *pandere* pendeant; quorum sive priorem a praepositione *in* suspendamus, posterior omni regimine carebit, sive utrumque ita jungimus, ut, quae Casauboni sententia fuisse videtur 77), acc. c. inf. ad abominandi notionem, quae in eo, quod est *despuit* latet, pro objecto vel argumento abominationis accedat, subjectum desideramus, quod ita tantum omitti potest, ut ipsam rem universe abominemur, non solum in certo homine 78); idque ipsum ut fiat, haud scio an nostra potius lectione opus sit, quae per exclamationem oratoriam occultae foeditatis reprehensionem a singulari homine ad universos mores transfert. Constructionis ratio eadem erit quae v. c. in Cic. Verrin. V. 38: *o spectaculum miserum atque acerbum, ludibrio esse urbis gloriam, populi Romani nomen*, ubi non est cur duas vel tres exclamationes inter se separemus 79), neque nomi-

77) Verba ejus haec sunt: *qui abominans tuos mores haec dicat de te quae sequuntur;* τὸ *despuat* duorum verborum locum obtinet, ut passim, καταπτύειν pro καταπτύοντα βλασφημεῖν: *quid autem iste docet? nempe impudicum te esse*, καὶ τὴν ὥραν πᾶσι τοῖς τυχοῦσι χαρίζεσθαι καὶ τὰ γυναικῶν πάσχειν; eamque construendi rationem sequitur etiam W. E. Weberus Emigrant und Stoiker, Bonn. 1831. 8, p. 126: *der den Elbog stösset und Geifer auf dein Leben ergiesst: dass Mannheit du und geheime Theil' abglättend mit Kunst als Weichling feil in dem Volk seyst;* alii vero interpretes mutata constructione rem in ambiguo reliquerunt, ut Passovius: *schleicht ein Fremder heran, winkt andre dazu und bespöttelt eifrig dein Leben; du zeigst dem Volk, wie schniegelnde Sorgfalt seinem Verborgnen er schenkt und die schändliche Lust es entstellt hat;* et Hauthalius *tritt dir ein Fremder nah, der gern dich stösst mit dem Arm' und bitter dein Wesen bespuckt; denn 's Glied und des Afters Geheimniss jätest du und dem Volk stellst preis du verwelkete Lefzen.*

78) Cf. Madvig. ad Cic. de Fin. II. 9, p. 197.

79) Recte hoc contra Ramshorn. §. 168. 6, p. 638 monuit Otto ad Cic. de Fin. II. 23, p. 290.

nativus *hi mores*, pro quo alius fortasse accusativum exspectet, offendet eum qui modo legerit: *o miser inque dies ultra miser* 80). Magis ambiguum ipsorum codd. nostrorum discrimen offert v. 37, ubi Lugdunensis quidem cum editis habet *tu cum maxillis*, Norimbergensis autem cum Oehleriano *tum cum*, nec fortuitam hanc discrepantiam esse poëtae quoque libri ostendunt, quorum quatuor nostri ADEI multique alii antiquae notae apud Hauthalium p. 324 *tunc cum* scribunt; vix tamen arbitror mutationi locum esse, quum nec temporis neque ordinis significatio, quam particula afferat, requiratur, nec difficulter intelligamus, quomodo sequente particula *quum* librarii mature ad correlativi necessitatem praesumendam induci potuerint. Extremo vero versu 64 unice verum est quod unanimis Mstorum meorum consensus contra editum exemplar tuetur *tecum habita, noris quam sit tibi curta supellex*, omissa conjunctione *ut*, quam etsi poëtae quoque codd. satis multi ADEFIO corruptaque in N scriptura *aut noris* commendare videantur, recte tamen recentiores editores ut supplementum prorsus supervacaneum omiserunt, neque eo indigemus, quod Reizius ex Petro Blesensi epist. CVII scripsit *et noris;* solum enim futurum consequentiam ex antecedentibus satis declarat.

Sat. V. v. 15 mira profecto res est poëtae codd. et nostros omnes et aliorum plerosque praeter quatuor, si Hauthalio fides, sed antiquissimos scribere *ore teris modico*, quod et prisci editores plurimi

80) Sat. III. 15: plura dabit Laur. Valla de L. L. elegantia II. 18.

et nostra aetate Plumius et Hauthalius receperunt; sensum tamen si spectamus, in diversissimas partes abeunt, neque ullus eorum explicavit, quomodo duo verba *sequeris* et *teris*, ad unum praesertim objectum *verba togae* relata, sine copula se excipere possint; nec dubito quin *teris* pro *teres* ab eo demum substitutum sit, qui elegantissimi adjectivi immemor futurum verbi *terere* sibi legere videretur idque ad similitudinem antecedentium verborum *intendis* et *sequeris* in praesens mutandum esse censeret. Antiquam sane varietatem esse praeter Oxoniensem Hauthalii, qui utramque jungit [81], Scholiastae quoque interpretationes docent, quarum altera quidem *expolis* ad *teris*, prior vero: "*id est ita formato ore, ut compte loquentibus figuretur*," ad *teres* spectat, atque hoc etiam in utroque meo Lugdunensi et Norimbergensi claris literis praefixum est [82]; eo ipso vero ordine veri simile fit in illius certe codice *teres* pro ipsius poetae manu scriptum fuisse, utque alteram lectionem ab ipso scholiasta pro variante additam esse concedam, non majorem inde commendationem accipiet, quam quod simillima corruptela in Sat. I. 87 a vetere grammatico exhibetur *cevis* pro *ceves* (cf. sup. disp.

81) Beiträge p. 276 sq. Hauthalius quidem a *prima* manu *teres* in *teris* mutatum narrat; tale vero judicium satis ambiguum esse patet, neque ut dubitare de eo audeam illud confirmat, quod ex meis I, quem Oxoniensis illius simillimum esse dixi, a manu *secunda terris* habere traditur; quanquam quid prima offerat, quia de editione, ad quam collatus est, non constat, decernere nolo.

82) Hauthalius p. 278 verba *compte loquentibus* ad solum *modicum os* refert; at hoc jam suam sibi glossam habet: *id est brevi sermone;* nec Pithoeani lemmatis major auctoritas esse potest quam duorum Mstorum, quorum Norimb. vel ante *expolis* iterum *teres* non *teris* scripsit.

not. 10). *Ori* denique *modico* nihil magis convenit quam adjectivum *teres*, quod a membris corporis humani ductum rotunditatem quandam cum tenuitate conjunctam et ab omni tumore alienam significat [83]), quodque Hauthalius hanc ipsam convenientiam in tautologiae criminationem convertit, quia *modici* vocabulo nihil novi ad id quod est *teres ore* accedat, simillimum redundantis constructionis genus deprehendimus apud Ovid. Fast. VI. 425.: *lucoque obscurus opaco*, neque alienum est quod sexcenties apud probatissimos poëtas Graecos fieri videmus, ut adjectivum, quod pro epitheto cum substantivo aliquo jungendum sit, cum radice ipsi substantivo cognata ita componant, ut eadem notio in utroque redeat [84]). Brevior disputatio est de v. 17, ubi solus Lugdunensis cum ipso textu suo habet *dicis* pro *dicas*, Norimbergensis et Oehlerianus cum editis vulgatam servant, eandemque poëtae codd. plurimi et aliorum et mei tuentur, nisi quod ex A *dices*, idemque ex B cum correctura *dicis*, ex I vero *doceas vel dicis* enotatum inveni; altius autem corruptela insedit v. 25, ubi soli nostrorum DEIO editam lectionem *tectoria* retinent, reliqui omnes scholiorumque Msti tres cum plurimis aliis codd. *plectoria* exhibent, singulari hercle consensu in vocabulo, quod nec legatur apud ullum Latini sermonis auctorem neque ex ulla analogia commodam explicationem accipiat, ut facile excusari

83) Cf. Casaub. ad h. l. et Ernesti Lex. technol. Lat rhetor. p. 395.

84) Sic *μακραίωνες βίοι* Aesch. ap. Plat. Republ. II, p. 383 B et Soph. Oed. Tyr. 518; *βίοτος εὐαίων* Trachin. 81; *ὑπεραλγὴς χόλος* Electr. 176; *δυσπνόοι πνοαὶ* Antig. 588; *εὔδειπνοι δαῖτες* Eurip. Medea 200 etc.

possit, qui in tanto monstro non simplicem vulgatae elegantiam, sed aliquid reconditi et inauditi latere suspicetur. At enim nec quod Burmannus olim tentavit *tinctoria* 85) nec quod Hauthalius nuper *planctoria* vulgatam aequat, quae toti loci sententiae ita convenit, ut vel si nullo codice confirmaretur, inter omnia emendationum tentamina palmam mereret, nec quidquid Hauthalius moliatur, unquam nobis persuadebit *tectoria* aut minus apte dici aut per glossema in recentiores editiones irrepsisse. Quid quod ipse sibi contradicit, qui eadem pagina vocem interpretandae *pictae linguae* causa adscriptam esse nec tamen ullo sermonis usu confirmari ait, quo facto glossator locutionem satis perspicuam interpretamento prorsus inusitato explicasset; sed etiam missa hac ancipitis judicii perversitate neque audaciam imaginis nimiam esse arbitror, si fucatus sermo tectoriis comparetur, quibus rimosae et hiulcae aedium partes extrinsecus induci solent, neque illud agnosco, quod eodem quo v. 15 fastidio exprobrat, *pictae linguae tectoria* tautologice dici, quia tectorii comparatione nihil novi ad *fictae linguae* imaginem accedat. Certe ne veras quidem tautologias Persium vitasse ostendit Sat. IV. 10: *gemina lanx ancipitis librae;* nunc vero talem non magis agnosco quam Sat. III. 49 in *angustae collo orcae*, ubi eadem hypallage cum orca epitheton junctum est, quod colli potius notioni conveniat, ipsum autem collum ab orca etiam minus distat quam tectoria a lingua, quacum ita tantum coëunt, ut *pictae* epi-

85) Burmann. ad Anthol. Lat. T. II, p. 419.

thelo, quod utrisque commune est, tertium comparationis accedat. V. 26 pro *his* nostri A C F H M N O *hic*: itaque Passovius et Orellius cum haud exiguo codd. et antiquarum editionum numero, quo etiam Guelferbytani mei B corruptela *hinc* accedere videtur; dativum tamen a Casaubono maxime restitutum antiquissimorum Mstorum fide satis firmavit Hauthalius p. 223, nec scholiastam aliter legisse glossa ostendit: *ad hoc mihi centum voces opto*, cui etsi in edito lemmate *hic* praefixum est, Msti nostri ibi quoque veram lectionem *his* tuentur. Major etiam utrorumque in optima scriptura consensus est v. 35, ubi eadem varietate, quam superius ad Sat. III. 56 dijudicavimus, D noster cum plerisque recentioribus editoribus contra plurimorum codd. ipsiusque scholiastae auctoritatem *diducit* pro *deducit* exhibet, et v. 38, ubi Reizius cum manifesto sententiae detrimento ex paucis codicibus, quorum deteriorem condicionem ipse nostrorum G H M N O assensus prodit, *ostendit* pro *extendit* substituit; nec v. 64 dubito quin pro *juvenesque* rectius scribatur *puerique*, quod in utriusque Msti nostri lemmate servatum etiam editi explicatio commendat: *discite senes et pueri quo debeat animus tendere; juvenes* certe quamvis omnes quotquot novi editiones teneant, codd. nostrorum praeter Lugd. C deterior tantum familia A G H M N O tuetur, B D E F *pueri* praebent, ipsiusque Lugdunensis auctoritatem scholia elevant, quae vel contra textus sui exemplum claris literis *puerique senesque* praescribunt. Sequitur locus multis doctorum emendationibus tentatus v. 73:

libertate opus est, non hac ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
possidet; heu steriles veri etc.

sed ut hic si unquam certam et genuinam lectionem sola librorum observatione diligenti et fideli constituere possimus. Nimirum *quam ut quisque*, quod Reizio et Passovio placuit, nostrorum nullo, aliorum deterrimis tantum et recentissimis commendatur [86], nec Plumii *qua quisque* nisi ab infimis nostrorum FGHMNO patrocinium habet; Orellii vero lectio *qua ut quisque* quamvis in multis antiquis editionibus exstet, auctoritatem, quae virum cautissimum traditaeque scripturae observantissimum ad illam recipiendam inducere potuerit, non novi praeter editi scholiastae lemma, quod tamen ipsum corruptum esse jam Mstorum nostrorum comparatio ostendit; hi enim clare *non hac ut quisque* exhibent idque etiam poëtae codices ABCDEI tanto consensu firmant, quantum raro bonorum adversus improbos invenias. De constructione tantum nec recentissimis hujus lectionis vindicibus Krausio et Hauthalio adstipulor, quorum alter cum Passovio extrema verba *scabiosum — possidet* majore interpunctione a reliquo sententiae tenore abrupit [87], alter autem *possidet* ad *libertatem*, *scabiosum tesserula far* ad *emeruit* retulit [88];

86) Cf. Hauthal. Beiträge p. 330 sqq.

87) Passovius: *Freiheit thut uns Noth! die nicht die jedem Veliner Publius ward. Ihm schafft sein Täfelchen windiges Korn doch.* Hauthalius: *nicht die, die jeder Veliner Publius sich wol verdient; er besitzt nur schäbiges Korn für's Täfelchen.*

88) C. E. Krause diss. de Satiris A. P. F. earumque interpretatione, Gott. 1830. 8, p. 9: *sensus enim: non hac libertate est opus quam possidet, quisquis Publius Velina scabiosum far emeruit tesserula* etc.

quauquam enim et *ut* pro *qualis* dici posse concedo et *quisque* ipse cum Krausio pro *quisquis* vel *quicunque* dictum esse statuo [89]), tamen nec libertatem video quomodo *emerere* demum possit, qui jam tribui alicui ut Velinae adscriptus est, nec tesserulae tantum meriti tribuo, ut ejus ope vel scabiosi farris modius *emereri* potuerit, sed *emeruit* ad stipendia peracta refero, quibus perfunctus civis ad integrum libertatis fructum vitaeque urbanae commoda redeat [90]), *scabiosum tesserula far* autem a *possidet* suspendo totumque locum sic explico: *non ita comparatam libertatem dico, ut nunc videmus cuilibet homini, qui tribui civium adscriptus sit, hoc ipso titulo, postquam civilibus officiis satisfecit, legitimum ad largitiones principum et vitae quotidianae solatia aditum patere.* Ne quis enim sequentibus verbis inducatur, ut libertinum dici putet [91]), Velinae tribus rusticae mentio vetat, qua illud hominum genus exclusum fuisse constat [92]); immo ea tantum sententia mox manumissio memoratur, ut talem libertatem, quali vulgus gaudeat, etiam vilis-

---

89) Cf. Parei Lex. criticum p. 1047 quosque laudat Drackenborch. ad Liv. I. 24. 3

90) *Emeruit* scil stipendia, ut Lucan. I. 344: *quae sedes erit emeritis?* saepiusque apud argenteae aetatis scriptores omittuntur objecta, quae ad explendam verbi notionem necessaria videantur. Sic *studere* scil. *literis* passim apud Quinctilianum; *deserere* scil. *exercitum* apud Senecam etc.

91) Sic Casaubonus, Koenigius, Plumius, nec non W. E. Weberus in interpretatione: *kommet ein Publius los* etc.

92) Liv. IX. 46; Epit. l. XX; XLV. 15; cf. Sigon. de ant. jure pop. Rom. II. 14, p. 352 et Orell. Inscr. syll. T. II, p. 32: *exempla quidem, ad quae provocant ii, quibus placet libertos quoque tribubus interdum fuisse adscriptos, plerumque vel corrupta sunt vel commenticia, ut diligenti examine instituto reperi; ideoque accedo sententiae Gudii, Gorii, Maffei, Hagenbuchii et Marinii libertorum tribus negantium.*

sima mancipia adipisci posse apparent; militiae vero ideo mentio fieri videtur, ut officiorum quoque civilium vilitas eorum dignitati opponatur, quibus exercendis vera sapientis libertas exsistat, nisi vel eo progredi placuerit, ut ipsam civitatem militari opera emeritam respici statuamus [93]). Difficilior causa est v. 77, ubi uterque scholiorum codex membranaceus omittit copulam *et* inter *vappa* et *lippus*, quam nec metrum neque ipsa asyndetorum ratio abesse patitur [94]); antiquam tamen omissionem esse et poëtae codd optimi nostri A B C D E G I et varia supplendi conamina ostendunt, quae in aliis leguntur, ut *elippus* in N et *vappaque* in scholiis Oehlerianis; quod si vel maxime jam scholiastae exemplari inhaesisset, vetustati certe hujus nihil derogaret. V. 78, ubi pariter antiqua varietas *temporis* pro *turbinis* in meis C D E G N O exstat, Guelferbytanusque B vulgatam pro correctura tantum superscriptam habet, quid scholiasta legerit, per notas initiales, quibus in utroque meo codice haec verba scripta sunt, dignosci nequit; v. 84 autem ipsa explicatio: *sum ergo Bruto liberior*, scripturam *sim* refutat, quam a Casaubono, Reizio, Passovio, Plumio receptam solus nostrorum C tuetur; nec v. 96 dubia scholiorum auctoritas accedit lectioni *secretam*, cui quod Plumius substituit *secretum*, nec nostrorum librorum plures

93) Cum honesta missione etiam civitatem interdum datam esse ostendit v. c. inscriptio Neoburgensis in Wiener Jahrbb. 1839, T LXXXVI, Anz. Bl. p. 63: *vicenis emeritis quinis stipendiis quorum nomina subscripta sunt ipsis liberis posterisque eorum civitatem dedit et connubium cum uxoribus* etc. De municipali enim civitate, quam editor hujus inscriptionis somniavit, ne cogitari quidem potest.

94) Cf. legem a Madvigio scriptam Opusce. p. 333 sqq., quam assensu suo comprobarunt Handius Tursell. T. II, p. 470 et Haupt. Obss. crit. p. 31.

quam unus G neque alii multi firmant, aperte vero contra stat insignissimus Juvenalis versus VI 543:

arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,

ubi tantum abest ut cum Heinrichio itidem *arcanum* emendandum fit, ut vel tertium ejusdem hypallagae exemplum in promptu sit Stat. Theb. I. 512: *tacitaque immurmurat aure* 95). Sequentem demum vocem quomodo scholiasta legerit, ambigi potest, quum Pithoeana quidem editio *gannit*, codex Oehlerianus *garrit* exhibeat, in membranaceo autem utroque initiales tantum literae exstent, ut illic quoque pro arbitrio expletum esse verisimile sit; sin reliqua argumenta respicio, nunc quoque ut olim Casauboni Achaintriique lectionem *garrit* contra Germanicorum editorum consensum tueri conor. Nam et codd. nostrorum CDEN auctoritatem ei quae ab ABFGHMO accedit praefero, nec quod Dübnerus *garrire* indignam Ratione vocem esse arguit, majorem *gannitus* dignitatem video, quem sive ab iratis canibus repetas, vix arbitror usquam sine contemtu ad homines transferri 96), sive cum Hauthalio ad *dulces* Appuleji gannitus confugias, vide ne Rationem in meretriculam convertas, quae etiam si garriat, mulier tantum erit; Afranio denique, unde Nonius haec affert: *gannire ad aurem nunquam didici,* contra stat Martialis V. 61. 3:

nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem;

quod si utriusque usus pari jure constat, in assiduis Rationis monitis

95) Cf. etiam Jacob. Quaestt. epic. p. 113 sqq.
96) Cf. v. c. Terent. Adelph. IV. 2. 17; Catull. LXXXIII. 4.

describendis importunitatis et loquacitatis vocabulum blanditiis longe praefero. V. 105 *specimen veri* F; *veri specimen* CEGINO nec non D a secunda manu, itaque Hauthalius cum multis sane codd. sed nescio qua constructione, quum sequens *qua* femininum antecedere postulet quo referatur, et contra antiquam Johannis Sarisberiensis auctoritatem, quem *speciem* ante oculos habuisse manifestum est [97]), neque aliud scholiastam legisse et lemma in editis et ipsa explicatio suadet: *et ita callidus es similitudinem veritatis agnoscere ut aes auro obvolutum percutiendo intelligas.* Specimen enim documentum potius quam similitudinem interpretatus esset; hoc ipsum autem in sequentibus hanc fere sententiam flagitaret: *sicubi sub aere aurum lateat;* cujus quum contrarium perscriptum legamus, ipsa rei natura ad *speciem* remittimur, quae quia externo splendore fallit, commodissime *auro subaerato* comparatur, quod tinnitu demum agnosci et a genuino temperamento distingui potest. Nec quod v. 106 Hanthalius pro *subaerato* reposuit *sub aerato,* scholiastae *aeri auro obvoluto* respondet, nec sententia magis quam codd. nostrorum testimoniis commendatur, quorum infimi tantum MNO distinctas voces exhibent; ego vero neque *aeratum aurum* dici posse arbitror, quia hoc *ornatum* potius et *instructum aere* significaret [98]), nec si vel maxime possit, intelligo quomodo *sub*

97) Policrat. VII. 22, p. 504: *deus species discernit a rebus, ne qua subaerato mendosum tinniat auro;* quem etsi recte monet Casaubonus *a vero* legisse aut certe *veri* in hanc significationem detorsisse, id ipsum fieri non poterat, nisi *speciem* perscriptum habuisset.

98) Sic *aerati postes* Virgil. Aen. II. 481, *aerata securis* XI. 656, *aeratae naves* Horat. Od. II. 16. 21, *aerata arca* Juven. XIV. 259 etc.

hoc mendosum tinnire possit, si quidem ipsum potius aurum aere adulteratum tinnitu proditur mendumque ipsi huic compositioni inest. V. 117 uterque noster membranaceus *servans sub pectore* pro *servas* antiqua varietate, quam etiam poëtae codd. ACEG exhibent, etsi verbum finitum cum editis tota constructio tuetur; major illorum fides erit v. 124, ubi editi quidem *unde datum hoc sumis* in lemmate gerunt, scripti autem *sentis* potius offerunt, quod a poëtae quoque codd. CDEFO commendatum vel invitis editionibus fere omnibus eo certius praefero, quo clarior est imitatio Horatii Serm. II. 2. 31, quam si quaeras utrum ipsi Persio potius an librariis tribuamus, in tanta aliorum locorum similitudine ad ipsum poëtam referre nullus dubito. Idem Bentleji judicium fuit ad illum locum, nec profecto apparet, quomodo librarius nisi apprime doctus a *sumis* ad *sentis* aberrare potuerit; *sumis* autem post *datum* facile ex ingenio scribi poterat, quanquam propius examinanti ne sententia quidem aeque arguta videbitur ac si *sentis* legas, quia hoc ipsum poëta negat, hominem cupiditatibus adstrictum libertatis qua glorietur vel sensum aliquem habere. Proxime quoque v. 130 Horatii imitatio Serm. II. 7. 105 sufficit ad tuendam lectionem *quí tu impunitior exis*, quam etsi duo tantum nostri DG integram servarunt, scholiastam tamen ante oculos habuisse docet explicatio: *quo pacto ergo te servum negas*, nec de sententia est quod post Hauthalium quidquam addamus, qui hanc unice convenire docuit; statim igitur transeo ad versum impeditissimum 134, ubi quum plurimi nostri ADHIMNO cum Plumio et Orellio ita scribant:

et quid agam? rogitas? en saperdam advehe Ponto,

alii ut Achaintrius, Dübnerus, et Weberus uterque *en quid* edere maluerunt, alii autem, ut Casaubonus, Reizius, Passovius, altero *en* sublato plurali *saperdas* locum aperuerunt, denique Hauthalius, postquam initio *rogas en saperdas* edidit, mox prosodiae vitio intellecto hujus quidem culpam in typothetam conjecit, ipse vero ex ingenio *rogita* legi jussit, cujus vestigia in codd. quorundam lectione *rogat* deprehendere sibi visus est. Editus scholiasta imperfectum tantum lemma exhibet: *en quid agam*, et: *saperdas advehe Ponto*, plenius autem Msti nostri Lugd. *et quid agam rogat en saperdas a. p.* et Norimb. *et quid agam rogas en saperdas a. p.*, quod etiam Lugdunensem voluisse ostendit interpretatio, quae in editis excidit: *cui respondetur rogas id est dicis quid agam;* neque aliter textus hujus C, qui claris verbis *et quid agam rogas en saperdas* exhibet; Oehlerianus demum ad *en quid agis* et *rogitas* redit. Ego vero in priore versus parte ipse nunc cum Hauthalio praefero *et*, quod non codd. tantum major numerus, verum etiam sermonis usus commendat, si quidem is, qui se ipse quasi monstret avaritiae paratumque ad ejus mandata exsequenda ostendat, *hem* potius quam *en* dicere debebat 99); difficilius judicium est de altera, ubi si pluralem scholiastae concesserimus, aut *en* contra omnem codd. auctoritatem tollendum aut invito metro — Hauthalii enim conjectura vereor

99) Exempla ab Hauthalio p. 422 collectis adde Plaut. Cistell. IV. 2. 26: *hem quid est?* Rud. I. 4. 17: *hem quis est?* etc.

ut cuiquam placeat — *rogas* scribendum erit; sin huic consultum volumus, non nos minus quam Hauthalium offendit frequentativum *rogitas*, cujus idonea causa non apparet, fateorque fuisse quum serio quaererem, num correptio ultimae in *rogas* etsi non excusari attamen condonari Persio eodem modo posset, quo *palus* brevi *u* Horatio jam a veteribus grammaticis indulta est [100]. Atque illud quidem etiam nunc teneo, scholiastae hanc lectionem revera ante oculos fuisse, nec recentem corruptelam esse antiquissimi nostri BE ostendunt, ubi *saperdam* a secunda manu in *saperdas* mutatum est, quod cum illius scriptura *rogas* arcte cohaeret; ne tamen ipsi poëtae hanc licentiam obtrudere audeam, et codd. numerus singularem exhibentium prohibet et quod haud scio an pluralis pedestrem potius sermonem deceat, nec frequentativis poëtas vel solo metro cogente abstinuisse constat [101]; quae quum ita sint, donec etiam gravius scholiastae testimonium accesserit, in Plumiana lectione acquiescendum erit. Facilius judicium est v. 139, ubi ipsam vulgatam *contentus perages* scholiastae explicatio tuetur: *pauper necesse est vivas et solo sale contentus discum tuum digito tuo terendo pertundas*, neque aliter optimi nostri ACDEI scribunt; Hauthalii vero lectionem *contemptus* praeter unum B deterrimi tantum FGHMO tuentur meoque sensu argutius quam verius diceretur, si quidem non avaritiae, sed ambitionis foret contemtum minari, avaritiae autem nihil

100) A. P. 65: *sterilisque diu palus aptaque remis*; cf. Serv. ad Aeneid. II. 69 et VI. 107.
101) Köne die Sprache der römischen Epiker p. 181.

magis contrarium est quam temperantia paucis contenta, quod non video cur non ex illius ore pro maximo opprobrio haberi possit. Multo vero etiam minus necessarium est cum eodem Hauthalio *perges* pro *perages* reponi, quum nec lectionis varietas appareat praeter *peragas* in nostro F, neque eum nobis fingere possimus qui jam nunc contentus salinum terebret, ut *pergere* tantum in hoc vitae genere possit, sed minatur potius avaritia fore ut per integram vitam in tenuissimo victu acquiescat neque unquam altius evolet; cui sententiae ipsum illud *perages* optime convenit, neque adeo necesse est cum Krausio p. 12 Graecum τρυπῶν διατελήσεις comparari, si cum W. E. Webero *terebrare* ad ipsum quod est *contentus* retulerimus [102]. De reliquis hujus satirae varietatibus quid scholiastae placuerit, in crescente ejus brevitate aegre intelligimus, nisi quod v. 185. 186 Hauthalii scriptura *tum*, quam et poëtae codd. mei BCDE offerunt, apud illum quoque priore versu in membranis meis, altero vero etiam in editis exstat; uno tantum loco v. 150 explicatio his verbis concepta: *an ut pecunia, quae tibi quincunces verecunde praestitit, cum periculo deunces praestet?* Plumianam lectionem *peragant sudore* prodere videtur, quam quum aliis quoque argumentis prae ceteris commendandam esse arbitrer, ad illius auctoritatem stabiliendam nec ipsa praetereunda visa est. Plurimi quidem editores legunt *pergant sudare*, quod et codd. nostri ABO exhibent; mihi vero *pergendi* vocabulum non magis huic loco convenire videtur quam sup. v. 139, nec quod CM prae-

102) Corp. poët. Latin. Francof. ad M. 1832. 8. p. 677.

bent *pergant sudore* aliter in usum nostrum convertere poterimus, nisi ut alterius vocis praestantiam agnoscamus, quae nec prorsus aliena constructione omnino destrui potuit. Speciosior scriptura est Pithoei *peragant sudare*, quae in nostris quoque FG exstat; sed infinitivum nec superius jungendum vidimus cum *peragendi* verbo, substantivum contra *sudore* cum *peragant* conjunctum longe melioribus nostris EHIN commendatur, quorum solus I suprascripto *a* alterius quoque lectionis vestigia offert, eodemque referri potest antiquissimus D, cujus mendosam scripturam *sudure* aeque ac sup. v. 139 *juve* pro *jove* eo certius pro *sudore* accipere licet, quia simile scholiastae glossema *cum labore* secum habet. Illud modo quaeri possit, num *peragant* cum objecto *deunces* vim *praestandi* habeat, quam scholiastae explicatio requirit, idque cum valde dubium sit, Haunhalius haud profecto inscite *pangant avido sudore* legendum conjecit; durum tamen hoc quoque fuerit, atque haud scio an satius sit ipsa explicatione relicta verbum tot librorum consensu firmatum ad eam significationem referre, qua Sat. VI. 22 *magnanimus puer grandia bona dente peragere* dicitur, ut mercator, dum pro modicis quincuncibus deunces expetat, postremo spe frustratus omnem usuram amittat tantisque laboribus et periculis sola damna lucretur. Absonum certe videatur, si *sollers luxuria* hominem ipsa lucri mentione a laboribus pro eo subeundis deterreat; utque sermonis usus praestandi significationem concedat, ipsum, opinor, sententiae acumen magnopere augebitur, si illud quoque fieri posse luxuria moneat, ut omnis labor irritus cadat et nimia cupido in jacturam

vertatur; quod si vel maxime ad conjecturam redeundum sit, ita potius scribendum censeam:

quid petis? ut numos, quos hic quincunce modesto
nutrieras, peragant avidi sudore deunces?

Sat. VI verbo monuisse sufficiat v. 2 scholiastam quoque legisse *tetrico*, cui Pithoeus *tritae* nescio unde et praeter omnem necessitatem substituit, neque alia causa est v. 3 conjecturae *rerum* pro *vocum*, ubi Msti mei clare literam initialem *v.* exhibent; v. 9 demum gravior dubitatio redit de varietate lectionum *cognoscite* et *cognoscere*, quarum prior, quam Passovius, Achaintrius, Plumius, Dübnerus receperunt, nostrorum quoque multos ACDEIMNO occupat; scholiastam tamen infinitivum ante oculos habuisse colligimus ex interpretatione, qua hic ordo esse dicitur: *o cives, operae pretium est portum in modum lunae factum cognoscere*, atque haud scio an verisimilius sit infinitivum propter vocativum *cives* et *jubendi* vocabulum in imperativum quam hunc in illum transiisse. V. 23 quoque si nostros tantum codd. respicimus, ancipites haeremus inter *scombros* et *rhombos*, quorum prius DEFGN ipseque I a prima manu offerunt, alterum vero ABCO depravataque scriptura *rumbos* HM commendant; at quum edd. quotquot novi omnes *rhombos* scribant sententiaeque discrimen fere nullum sit, hic quoque scholiastam genuinam lectionem servasse credo, cujus et edita exemplaria et membranacea *rombos* praebent nec nisi Oehlerianus demum *scombros* subdidit. Certius judicium est v. 24, ubi deterrimum tantum codd. genus FGHMNO epicoenum *turdorum* retinet, reliqui

omnes femininum firmant; quod scholiasta non modo legit verum etiam tanto cum acumine explicavit, ut vel uni editori displicuisse mirum sit [103]; nec de altera hujus versus varietate dubito; quin scholiasta *tenues salivas* et legerit et recte legisse existimandus sit. Explicat enim *sapores*, quod poëtam quoque pluralem scripsisse arguit; eundem autem optimi mei ADE1 aut integrum aut levi corruptela ut *tenuius* E et *tenues offers* A prae se ferunt, quod si jam suis codd. tantum Achaintrius tribuit, ut illum numerum in ordinem reciperet, his accedentibus elegantissimam lectionem ab omni parte tutam fore arbitror. V. 37 Reizius et Passovius cum Casaubono scribunt *et Bestius urget*, quod et nostri EFNO atque C et La primis manibus praebent, et Hauthalius antiquissimis libris ita firmari ait, ut, quum initio inter verba poëtae *sed* scripsisset, in commentario sententiam retractaret, nec facile intelligitur, quid adversativa particula significet in ejusdem sententiae continuatione, qua Bestii castigationes cum antecedentibus: *tune bona incolumis minuas?* cohaerere apparet; at enim eo magis mirum foret *sed* pro *et* tam mature substitutum esse, ut non codd. modo probatae fidei, ut nostri ABD — GHM enim mitto — ipsorumque

103) E. G. Webero, qui tamen ipse in notis retractavit. Femininum confirmat etiam Servii ars grammatica post Pompeji commentum artis Donati ex edit. Lindemanni p. 493: *turdus quum apud alios genere masculino sit, Persius turdarum dicit, ne putemus genus esse commune; sed illi aliud placuit, huic aliud;* quanquam non ex arbitrio poëtae excusatio petenda est, sed ut recte scholiasta, ex argutiis gulosorum, *qui tantae subtilitatis palatum habere solent, ut cognoscant turdos . . si masculus sit an femina;* cf. similes delicias apud Horat. Serm. II, 4, 33, Stat. Silv. IV, 6, 8; Juv. Sat. IV. 140.

C et I correctores, sed scholiasta quoque *sed* scribere potuerint, itaque sit qui hoc ab extrema antecedentis vocabuli litera repetat, in tanta hujus lectionis auctoritate altioris corruptelae vestigium latere videtur. Dicam quod sentio: mihi certe, quoties hunc locum legi, necessarium visum est duo hemistichia: *tune bona incolumis minuas?* et: *haec cinere ulterior metuas?* ita transponi, ut prior pars v. 37 in v. 41, hujusque principium in v. 37 migret, quia ita tantum habent quo referantur verba: *haec cinere ulterior metuas?*, nimirum ad neglectum funeris, quem v. 33 sqq. minantur, alterum vero hemistichium, quod cum Bestii sententia cohaerere dixi, multo aptius hanc excipiet, ut huic ipsi jam poëta v. 41 sqq. earum necessitatum exempla opponat, quibus ne heres quidem magnas impensas vel cum bonorum imminutione recusare audeat; nec si hanc confusionem vel scholiastae aetatem transgredi concedo, omnem ejus memoriam jam tum adeo exolevisse arbitror, ut particula adversativa *sed* casui potius quam veteris scripturae reliquiis accensenda sit. Sed haec intelligentibus indicasse sufficiat; nec v. 46 diutius immorabor, quam ut codicem meum Lugdunensem literam quoque initialem *c.* servasse moneam, unde etiam magis firmatur, quod jam explicatio (*gausape est genus pilei quo captivorum capita induebantur*) prodebat, scholiastam non *victis* sed *captis* legisse; de ipsa enim lectione ambigi posse largior; quanquam mihi certe *victorum* nomen ab hoc loco alienum esse videtur, ubi ficticios captivos intelligendos esse ipsa gausaporum mentio docet[104]), nec

104) Cf. Koenig. p. 145, quem recte sequuntur Plumius et Dübnerus, cum simili Do-

si vel maxime antiquam esse lectionem *victis* vel nostrorum codd. DEFI auctoritas suadet, minus ideo pro glossemate habeo, quod vel inde oriri poterat, si forte *captis*, ut *captivi* intelligerentur, syllaba *vis* superscripta fuit. Omnium vero gravissimus locus est v. 51, cujus etsi lectio jam scholiastae tempore ita confusa fuisse videtur, ut critica ejus auctoritas nulla amplius esse possit, idem tamen ex antiquiore fonte explicationis viam retinuit, qua sola diuturnae controversiae finis sperari possit. Non dico hanc, qua heredem haec dicere vult: *non te audeo prohibere quicquid velis de hereditate tua ut non facias;* haec enim ex prava tantum lectione *audeo* profecta sunt, quam etsi antiquissimam esse maximus codd. et aliorum et nostrorum praeter unum B omnium consensus firmat, metrum tamen respuit nec scholiastae testimonio aliter uti sustineo, quam ut Hauthalii conjecturam: *dic clare hoc — audeo inquit*, praeter coactissimam sententiam omni veteri auctoritate destitui arguam; sed nec vulgatam lectionem *non adeo* languoris et imbecillitatis crimen effugere posse puto, nisi sequentia scholiastae verba in auxilium adhibuerimus: *quia ager plenus lapidibus longe non est, quo me contradicentem obruas*, quae ut primo adspectu spissis tenebris involuta sint et tantum non inepta videantur, valde fallor nisi propius aggredienti totum loci sensum aperiunt. Nimirum, ut verum fateamur, longe major loci difficultas continetur in sequentibus poë-

mitiani artificio apud Tacit. Agric. 39: *emptis per commercia, quorum habitus et crinis in captivorum speciem formarentur.*

tae verbis: *exossatus ager juxta est*, in quibus dici non potest quantopere se torserint interpretes, qui quum antecedentia veram poëtae munificentiam continere minasque ad exheredationem spectare crederent, *exossatum agrum* a proxime praecedentibus per interpunctionem majorem avulsum vel tanquam *exhaustum enervatumque* poëtae ab herede exprobrari finxerunt, sive rectiore sententia lapidibus expurgatum interpretabantur [105]), ad praedium suburbanum bene cultum retulerunt, quod prout haec verba poëtae aut heredi tribuerunt, aut solum ex tanta prodigalitate relictum tamen semper aliquem heredem inventurum esse dixerunt, aut ipsi heredi causam esse voluerunt, cur minas exheredationis non curaret; nos vero, qui cum Dübnero antecedentia exempli tantum causa ad arguendam ipsius heredis inconstantiam fingi existimamus [106]), haec quoque ita cum illis continuamus, ut metum significent, quo heres prohibeatur, ne vel sumtuosissimam largitionem populo recusare audeat. Et structurae quidem rationem jam Bondius perspexit eam esse, ut verba: *non adeo, inquis, exossatus ager juxta est*, arctissime cohaereant; interpretationem tamen qua hoc dicere heredem vult: *non adeo exossatus i. e. lapidibus expurgatus et probe cultus est agellus tuus, ut sine profusionis crimine epulum seu visceratio-nem populo praebere possis*, vel ideo improbo, quod et adverbii *juxta* rationem nullam habet, et mira dictio esset, si quis modicos

105) Lapides enim ossa terrae, ut recte scholiasta ex Ovid. Metam. I. 391.

106) Ad v. 48: *fingit tamen h. l. Persius hanc tam immanem munificentiam, quam utcunque cohibere periculosissimum erat, ut heredi suo illudat.*

rei familiaris reditus, qui sumtibus extra ordinem faciendis non sufficiant, ita declarare velit, ut agros non satis a lapidibus purgatos esse diceret; omnium vero maxime totius sententiae tenor repugnat, qui is potius est, ut poëta heredem, qui bonorum imminutionem officii causa faciendam aegre tulerit, commonefaciat, quam parum ipse sibi constet, qui multo frivolius atque insanius munificentiae genus, quod ad Caesaris honorem popellive gratiam instituatur, prohibere non ausurus sit. Metus igitur significationem in his quoque verbis requirimus, idque ipsum est quod scholiastae ejusve auctori recte subolnisse dixi, quem ne a constructione quidem nostra alienum vel illud ostendit, quod non *exossatus* sed *non exossatus* tantum ager *lapidibus plenus* dici poterat; hujus vero mentionem recte ad lapidationem retulit, cujus metu ille impediatur, ne largitioni resistat; nec si hunc metum inepte ad poëtam ipsum direxit, tota ideo explicatio concidet, modo eam ad populum transtulerimus, a quo metuat, ne si prohibeat lapidibus ex vicino agro petitis obruatur. Hoc enim, ut dixi, poëtae propositum est, ut ostendat avarum ipsum, si sibi periculum immineat, ne stultissimas quidem effusissimasque largitiones prohibiturum esse; tale vero periculum aut a Caesare imminere potest, quo antecedentia spectant v. 50 *vae nisi connives*, aut a populo, quem constat omni tempore, si ab aliquo offensus esset, ad lapidationes confugisse[107]); postquam igitur *oleum artocre-*

107) Cic. Verr. IV, 43; Sull. 15; Sest. 15; Q. Frat. II, 1 etc. Cf. Wachsmuth, hell. Alterth. T. II, P. 1, p. 437.

aeque pollicitus ex herede quaesivit num haec prohibeat, hic quamvis cunctatione sua satis ostendat se si liceat prohibere cupere, postremo tamen urgente poëta respondet, non adeo lapidibus vacuum esse vicinum agrum, ut quae sentiat impune eloqui audeat. Sic omnia recte procedere arbitror; ipsaque lectio *non adeo* tantam vim accipit, ut non tolerabilis tantum videatur, sed etiam si nullo codice firmaretur, vel ex conjectura restituenda foret. V. 66 quod optimi nostri ABCDE cum Casaubono exhibent *Tadius*, scholiastam quoque legisse vel corrupta editorum et Lugdunensis scriptura *tedeio tacio* vel *tatio* prodit; *Stadius*, quod recentiorum plerique probant, in deterioribus tantum nostris FGHMNO exstat, nec dubito quin ex dittographia ortum sit, quum alius *Staji* illius in Sat. II. 19 memor hoc nomen substituisset, quod etiam ipsum ex codice I enotatur. Nec *neu*, quod paucis tantum nostrorum DG addicentibus Reizius in *nec* mutavit, aut scholiastae auctoritate aut linguae legibus destituitur 108); quod autem v. 76 idem deteriorem lectionem *ne sit praestantior alter* commendare videtur, quam etsi a plurimis edd. praeter Achaintrium et Hauthalium receptam codd. tamen nostrorum inferior tantum familia FGHMNO offert, haud scio an ipsa demum explicatio antecedentium: *ne sit mercatorum quis ditior*, corrumpendae lectionis causa exstiterit; Lugdunensis certe huic demum proprium lemma subjungit: *neu sit praestantior alter*, quod certe propius ad veram optimorum librorum scripturam *nec*

108) Cf. Kritz. ad Sallust. Cat. p. 159; Wagner. Quaestt. Virgil. p. 579.

accedit. In extremis denique lectionum varietatibus v. 77 et 79 aperte ab optimae scripturae partibus stat; nam quod *plausisse* in editis pro variatione tantum subjici videtur, a Lugdunensi meo, qui solus extremas satirae partes comprehendit, *legitur et* prorsus abest, utque et *clausisse* et *pavisse* vetustas corruptelas esse concedam, quarum priorem et nostri CFO, posteriorem GHMN ipsique B et I pro varietate afferunt, tam diversae scripturae ex communi tantum antiquae lectionis fonte *plausisse* prodire potuerunt; *depinge* autem v. 79 Lugdunensis cum editis vel contra textus sui exemplum servavit, idemque praeter solos BC et nostri codd. omnes et Achaintrii atque Hauthalii plerique exhibent, ut nihil causae sit cur in tanta sententiae similitudine mutationisque proclivitate vulgatam *depunge* diutius tueamur.

III.

VARIETAS
LECTIONIS PERSIANAE

PRAEMISSA

INDICI LECTIONUM HIBERNARUM

A. MDCCCXLII—MDCCCXLIII.



Edidimus nuper obscurissimi poëtae Latini locos difficillimos aliquot ita illustratos, ut genuinae orationis constituendae fundamentum in veteris scholiastae auctoritate poneremus, quem quod aut incorrupta verba ante oculos habuisse, aut si vel maxime corrupta legerit, antiquissimam tamen lectionis varietatem fuisse statuimus, duabus disputationibus satis probatum esse arbitramur. Restant tamen etiam alii loci, ubi quum aut ipsi quos illic enumeravimus codices manuscripti aut recentiores editores varient, a scholiis nihil auxilii peti potest, vel quod omnino silent, vel quod explicationes literarumve initialium notae, quibus lemmata continentur, utrique lectioni pariter conveniunt, neque exiguus earum lectionum numerus est, quarum etsi corruptela manifesta in poëtae verbis emendandis nihil momenti habeat, ad ipsum codicum pretium existimandum familiarumque dispositionem non nihil contribuere possit; ne quid igitur desideretur, quod nostra opera ad crisis Persianae fundamenta jacienda afferri liceat, redeunte hac scribendi opportunitate ita nti constituimus, ut quidquid ex hoc genere in scriniis nostris reliquum esset, quam brevissima descriptione comprehenderemus. Et eas quidem lectionis varietates, quae in singulis tantum paucisve codd.

exstant neque ab ullo post Pithoeum et Casaubonum editore in ordinem receptae aut certe plurimorum consensu reprobatae sunt, nisi aliquam veri speciei prae se ferrent, sine peculiari refutatione strictim commemorare sategimus; de reliquis vero nunc quoque succincta disputatione id certe assequi conati sumus, ut et quid nobis placeret et quibus argumentis alienas scripturas reprobaremus, intelligentibus dubium non maneret. Sic in Prol. v. 1 verbo monuisse sufficiat pro *prolui* in C legi *pollui*, nec v. 2 quamvis multorum nostrorum codd. BCDFGINOP lectioni *memini me ut* diutius immorabimur, quia eam editores praeter Plumium omnes metro repugnare recte intellexerunt, pronomenque pro interpretamento tantum intrusum esse superscriptio in E clare ostendit. Mox *sic repente* EGNO; nec melius *prodierim* C; major ambiguitas est v. 4, ubi GHM *eliconindas pallidamque* scribunt, *heliconidas pallidamque* E ex rasura et P, *heliconiadasque et pallidam* BD, *heliconidasque pallidamque* Q idque receperunt Reizius, Passovius, Orellius, propter metrum ut videtur; plurima tamen codd. auctoritas commendat *heliconiadasque pallidamque*, quod et nostri ACFIKNO clare exhibent, neque est cur synizesin reformidemus; cf. Schneideri Elementarlehre d. latein. Sprache T. I, p. 286 et Hauthal. p. 108. V. 5 item multi nostri DEFGHIMNOPQ *relinquo*, antiqua varietate, quam et Passovius Plumiusque praetulerunt, locupletiores vero ABCK *remitto* i. e. ἀφίημι, ut Phot. Bibl. p. 350 Bekk.: τὴν τῶν ὀνομάτων εὐρυθμίαν ἀφιεὶς ἑτέροις, nec dubitamus quin recte Hauthalius alteram lectionem doctiori pro glossemate adscriptam esse statuat.

V. 6 *ipse ego* E; *tamen ipse* G; *at ipse* NO; v. 7 *hoc affero* F; v. 8 *psitico* P; v. 9 *picamque* DEI, *picas qui* HM pari futilitate, nec miserum illum scioli cujusdam foetum: *corvos quis olim concavum salutare*, quem Achaintrius cum paucis codd. et editionibus antiquis haud multis post v. 8 inseruit, plures nostri quam C et F continent, sed ut ille eum post v. 9 demum ponat, hic autem etiam corruptius *suum concavum* exhibeat. Difficilior optio est v. 9 inter *verba nostra* et *nostra verba*, quorum posterius et Passovii, Plumii, Orellii, Hauthalii assensu et codd. nostrorum praeter BK omnium testimonio commendatur; nobis tamen et horum ipsorum et Casauboni cum Achaintrio auctoritas vel eam ob causam potior est, quia facilis permutationis causa in majore oppositionis specie offertur, propius vero examinantibus ipse oppositi cardo in *verbis* potius versatur, quibus naturales avium voces non ut peregrinae Latinis vel Graecis sed ut soni tantum sermoni articulato opponuntur; cf. Obbarius ad Horat. Epist. I. 1. 34 et Doederlein lat. Syn. T. IV, p. 28. V. 13 *refulgeat* DEK pro *refulserit*, quam varietatem jam scholiastae notam fuisse in disp. I, p. 27 dictum est, probanda tamen non magis videtur quam quod v. 14 omnes nostri praeter E offerunt *melos*, de quo quia abunde illic actum est, verbum amplius non addemus. Nec *perpegaseum* in BDHMNOPQ aut *credas posse* in F ampliore disputatione indigent; illud tantum addimus v. 13 quod recentiores omnes praeter Hauthalium scripserunt *poëtrias* nullum codicem nostrum tueri, sed omnes *poëtridas* tradere, quod etsi Latini sermonis usui repugnat, ex analogia certe linguae Grae-

cae non minus ποιητρὶς a ποιητὴς quam αὐλητρὶς ab αὐλητὴς duci poterat.

Sat. I. v. 1 *quantum* omissa *o* AFKP idemque commendat Schützius Opuscc. p. 322, sed antiquam esse interjectionem alii codd. B et HMN ostendunt, quorum alter *est* omisit, alteri in fine versus subjecerunt. V. 2 *quis leget hoc? num tu* Q ridicule. V. 4 *non mihi* PQ; *nec mihi* FGK; *nae* MN itaque Achaintrius praeëuntibus Britannico et Plautio aliisque etiam antiquioribus, ut poëta affirmet Romanos sibi Labeonem praelaturos esse; at proverbio de Polydamante magis convenit metuendi particula, modo interrogatorie dictum statuamus: *quare? an quod metuendum sit ne mihi* etc. Deinde Reizius cum Plautio, Murmelio, Lubino *Pulydamas* ob metrum, suadente etiam Heinsio ad Ovid. Met. XII. 547; codd. tamen et nostri et aliorum poëtarum in producta *o* consentiunt, ut Prop. III. 1. 29, Ovid. Heroid. V. 94, Sil. Ital. XII. 212, Pind. Theb. 789; eademque causa est *polypi* apud Plaut. Rud. IV. 3. 81, Horat. Epod. XII. 5 etc. Mox *nec troyades* F, *troades* GOPQ, *troadas* HMN. V. 5 *pertulerint nugae num si quid* F. V. 6 *accedat* G; de reliqua hujus versus varietate cf. disp. II, p. 8 eandemque de priore parte v. 8; in posteriore *ac si fas* ACDEKOQ itaque Casaubonus, Achaintrius, Hauthalius, languide; melius ad sensum *a h* P et cum Reizio Weberus uterque; sed plurimi codd. repugnant, nec si a comicis discesseris, poëtas ea interjectione praeter dolorem uti docuit Handius Tursell. T. I, p. 217, quapropter nobis quidem cum BFGHMN praeferendum videtur *at si fas*, praesertim quum

in tanta scripturae similitudine etiam ii qui *ac* habent huic lectioni calculum adjicere videantur. V. 9 *nunc cum* A; *tum cum* BEIP Mox *et* deest in A. V. 10 *et nucibus* FH itaque Reizius, Achaintrius, Plumius, praeter necessitatem; *ha* G. V. 11 *patrios* G. Deinde *ignoscere nolo quae facimus* conj. Schützius l. c. p. 324; nobis tota loci ratio in Allgem. Schulzeit. 1833 p 328 affatim enucleata esse videtur. V. 14 *quo pulmo* EF. V. 15 *pexus toguque* A; *hoc populo* G; *hic populo* O. V. 16 *sacerdonice* Q. V. 18 *coluerit* BGHMN, *colluerit* FOPQ; cf. disp. II, p. 12. V. 19 *tunc neque* E, moxque *nec voce* pro *neque* plurimi nostri praeter ABC, exiguo discrimine, sed ut codd. auctoritati obtemperandum sit, cf. Wagner. Quaestt. Virgil. p 525. Cortii regulae ad Lucan. I. 300, qui *nec — neque* potius quam *neque — nec* inter se excipere mavult, nullus hoc loco suffragari videtur. V. 21 *trepido* K; *scalpunt* A; *ut intima* MNO. V. 22 *tum vetule* GP, *vetulae* MNO; mox *escam* Achaintrius, nullo nostro addicente. V. 23 *tute perditus arte* Q. V. 24 *quid didicisse*, cf. disp. II, p. 13; praeterea *simul* pro *semel* D frequenti confusione, cf. Corte ad Lucan. VI. 756, sed quam praeter Murmellium non facile nunc quisquam probaverit. V. 26 *o montes* Q. V. 28 *et pulcrum* CN; *monstrarier et* FQ. V. 29 *curatorum* Q; idemque v. 30 *pendis*; ibidem G *intra pocula*. V. 31 *satyri* K, *saturni* Q. V. 32 *circa* EFHKMNO, frequenti confusione, sed ut *circum* antiquior forma esse videatur; cf. Drakenb. ad Sil. Ital. II. 546 et Hand. Turs. T. II, p. 51. V. 33 *rancidolum* A, *randicolum* D. V. 34 *uotum* G; *ysiphilas uatum plorabile* P. V. 35 *et tenero*

HMNO itaque etiam recentiores multi, sed meliores codd. commendant *ac*. V. 36 *asscensere* K; deinde *nunc nunc* BGIP; *num non* F, *non nunc* K, *num nunc* O. V. 37 *num leuior* FO, *nunc leuior* G, *nam leuior cippus non* Q. Mox *comprimit* B sed suprascr. *im*; Achaintrius *imprimet*. V. 38 et 39 *num non* F, *nunc nunc* G; *de manibus* D. V. 40 *nascuntur* CG. Mox *et* omisit N. V. 44 *o homo* F. Deinde pro *feci* B ex var. lect. *fas est* atque ita K et Achaintrius, quamvis facile appareat hoc ex altera pagina v. 61 per errorem huc translatum esse. V. 45 *non cum scribo* Q, *conscribo* K; deinde *forte quis* HM. V. 46 *hoc rara* E. In codd. GQ hic versus excidit propter homoeoteleuton, in D post v. 47 insertus est. V. 47 *cornua* N, ut Plin. Hist. N. XI. 55. V. 48 *finem* F; *extremum* HM. V. 49 *nam belle* om. E. V. 50 *quod non* G. Mox *num hic* F, *non est hic abias acti* Q; *non est hic* etiam Ach. Postremo *atti* ABK, *attii* C, ceteri *acci*, ambiguo discrimine nec tam facili ad expediendum quam visum est Osanno Anal. crit. p. 61; cf. Schneideri Elem. Lehre T. I, p. 241 et Garaton. exc. VI ad Cic. pro Planc. 24; plura dabit Weichert. de Vario p. 9. V. 51 *uoratro num si qua* F; *elegida* FHMNQ. V. 52 *non si quid* G. V. 53 *cedris* G, *cedriis* Q, *citecis* P. V. 55 *dicito* ABFGQ; cf. disp. II, p. 14. V. 56 *calua* HMNO. V. 57 *linguis aquuliculis .. extat* A; *semipede extat* D; *extat* etiam I. V. 58—60 cf. disp. II, p. 15—17. V. 62 *coecu* E. V. 63 *quid enim* HMN. V. 64 *numeros* K; *fluere* DFGN; *pirlaue* Q. V. 65 *uictura* Q; *seis* D. V. 66 *nec secus* O, *hoc secus* Q. V. 67 *luxu* D; de ceteris cf. disp. II, p. 16.

V. 68 *res gaudes* Q. V. 69 *docemus* C; cf. disp. II, p. 19. V. 70 *lucos* HMN. V. 71 *rus nec* F. V. 73 *dentilia* A; *quintus* OQ. V. 74 *cum .. dictatorem* E, *cum .. dietaturam* AHMO, *qui .. dictaturam* KQ, *quem .. dictatura* BD, *quem .. dictaturam* CFGINP; cf. disp. II, p. 20. V. 75 *et cum aratra* B. V. 77 *pacuuius* BFGP, *pacuuii usque* HMN, *pacunius et uerusosa* Q. V. 79 *monitus pueris* MNO. V. 80 *partago* M. V. 83 *pendet* F. V. 84 *trepidum* AMN; deinde *licenter* B pro var. lect, V. 85 *aud pedio* Q: *carmina* GHN. V. 87 *laudatus* C; de reliquis cf. disp. I, p. 10 et II, p. 21. V. 92 *sed decor est et iunctura abdita* Q. V. 93 *didicit versum* ABGMNOQ; ceteri *versum didicit;* cf. disp. II, p. 21. Mox *atin* C itaque Casaubonus et alii Scaligerum secuti propter sequentem formam *delphin,* quacum concentum aliquem quaeri putabant; cf. Meisteri comm. Francof. ad Viadrum 1801. 8, p. 6; at plerique codd. aut *attis* aut *athis* exhibent, infirmiorque illa suspicio est, quam ut tantus ei librorum consensus cedat, cf. jam Breitinger de versibus obscuriss. Turici 1723. 8, p. 25. Neque illud rem conficit quod Leutschius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1834, p. 168 ex Quinct. XII. 10. 31 de *litera ny jucunda et in fine praecipue quasi tinniente* affert, quia illic non clausulae *s* sed *m* opponitur, cum *s* autem comparatam vel saepius apud Latinos usurpari Priscianus VI. 5. 27 docet; quod si praeterea animadvertimus ipsum C infra v. 105 *attis* scribere, non magna alterius formae auctoritas manebit. V. 95 *si costam* E, ut etiam *sic os tam* legere possis, quod conjecit Ramshorn. Lat. Gr. p. 1084; schol. tamen vulgatam tuetur, nec sententiae major per-

spicuitas ex mutatione exsistet. Ceterum v. 93—95 infraque v. 99—102 a P omnino absunt. V. 96 *nonne est spumosum* A. V. 97 *praegrandi* omnes nostri, nisi quod in P suprascriptum est *ve;* sed cf. disp. II, p. 22. V. 98 *legendum est* F G H M N itaque Passovius cum multis edd. antiquis, sed manifesta interpolatione. V. 99 *mimalionis* E. *mimaleonis* F. V. 100 *sectum* H M N O et duo schol. Msti ex glossemate, cujus etiam Cortius ad Lucan. II. 112 meminit; deinde *superbe* H M N. V. 101 *linces* F, *luces* Q; mox *fluxura* A. V. 102 *euhion* C E I, *euchion* F G H N O Q, rectius fortasse quam vulg *evion*, sicut etiam Lachmannus Prop. II. 3. 18 *euhantes* restituit. V. 104 *de lumbe* M O, *de lumbo* G. V. 105 *notat* A; *labris in udo* P. V. 105 *demorsus* A. 108 *nec maiorum* H M N. V. 109 *lumina* . . *carmina* Q. V. 110 in E per errorem post 116 legitur, sed idem hic quoque margini adscriptus est. V. 111 *omnes omnes* C cum Pithoeo et Casaubono, ceteri cum edd. recentioribus pariter et antiquis plerisque *omnes etenim* praeter unum Q, qui versum sic explet: *euge omnes bene mirae per me eritis res;* at hac ipsa re verisimile fit omissa per facilem errorem voce iterata pariter ut sup. v. 87 mox *etenim* quoque versus explendi gratia intrusum esse, quem ad modum etiam in E a posteriori demum manu accessit. Vicissim *mirae* abest a G V. 112 *hic iuuat hoc* F; *hoc inquis uelo quisquam ne* G; *eletum* Q. V. 113 *pigue* Q; mox *sacer est pueri* H M N O. V. 114 *discenda* Q. V. 115 *mutti* A; *muci* C G, quod commendat Heinrich. ad Juvenal. T. II, p. 83; ceteri vero *muti*; et Mutios quoque Romae fuisse Varro L. L. V. 1 probare

videtur. Mox *et* omisit A; *genuinumque* G. V. 117 *amissus* A; *ammisus* L. V. 118 *calidus* H. V. 119 *muttire* E. V. 120 *vidi hic vidi* I. V. 121 *hic ego* P; de reliquis cf. disp. II, p. 10. V. 123 *afflante* F I idemque in E fuit, sed correctum; *quicquam affute* Q. V. 124 *pergandi* F. V. 125 *ad haec* I, *et hic* P, *et hoc* Q. V. 126 *faveat* Q; de *unde* cf. disp. II, p. 22. V. 127 *quin crepidas* A. V. 128 *poscit* Q, cf. disp. II, p. 23 eandemque ad v. 129 et 131, ubi quod praeterea G *sicco in pulvere* scribit, non magis mentione dignum est quam quod Q v. 129 *supinos* et v. 130 *eregerit . . edibus;* nec melius v. 132 *sed risisse* B et v. 133 *nouaria* F, *vellet* A G.

Sat. II, v. 2 *apponet* A E I; *annus* A. V. 3 *amaci* K V. 5 cf. disp. II, p. 24. V. 6 *haud cuius* A C E G; *murmur humilesque* F G. V. 7 *vivire* A. V. 8 *clare ut* F G H M N O; *laudiat* A. V. 9 *introrusum* H idemque cum M N O editionibusque fere omnibus *immurmurat;* sed cf. disp. II. p. 25. De v. 10 ibidem dictum est p. 27 sq. V. 13 *expugnam* A N, *expingam* O, *expungas* K; deinde *nam est* A E, *nam et est* B H I M, *nam hic est* C, variantque etiam scholia Msta; quorum Lugd. offert *nam est*, Norimb. *nam et .i. scabiosus;* sed metrum vulg. *namque* tuetur. V. 14 *conditur* A B C E F I, ceteri *ducitur;* cf. disp. I, p. 28. V. 15 *tyberino gurgite* F; *in flumine* H M N; deinde *merges* A H, *mersas* suprascr. *vel mergis* B. V. 17 *minimum quod* H M N O. V. 18 *eone ut* A; *est ut* B E. V. 19 *cuiquam quonam* H M N, *cuiquam cuinam* F G O, ceteri bis *cuinam*, cf. disp. II, p. 26 et similem locum Cic. Verr. IV. 3: *sed earum artificem — quem? quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant.* V. 21 *quod tu*

EHKMN et suprascr. *vel quo* B, qui etiam mox suprascr. *compellere.* V. 22 *agendum* A idemque mox *clamat.* V. 23 *non clamat* BF; *clamet non* HMNO. V. 26 *febris* A. V. 28 *solidam* G. V. 30 *an lactibus* B ex correctura; sed restitutum *et.* V. 32 *frontemque et uda* F, *at uda* G. V. 34 *urentesque* A, *urentis* E; mox *inhibere paratam* HMN. V. 35 *tum* O; sed vulg. recte tuetur Haupthal. p. 320. V. 36 *tunc licini* C; *nunc licinii* BE. V. 37 *optent* EFGHMNO, ceteri *optet* melius, cf. Bentl. ad Horat. Od I. 24. 8 et Wagner. Quaestt. Virgil. p. 401. V. 38 *ut rosa fiat* HMNO. V. 39 *at ego* G. V. 40 *rogabit* I. V. 41 *poscit* AE, *possit* K idemque mox *nec vis.* V. 42 cf. disp. II, p. 27, ubi quod *pingues patinas* propter *tuceta crassa* scripta esse diximus, ne quis cum Hauthalio utramque vocem idem valere neget, conf. Stat. Silv. I. 2. 111 cum nostri Sat. III. 104, quorum alteri *crassum amomum* est quod alteri *pingue.* Leviori corruptela *tucceta* CE, *crasse* A. V. 45 *arcessis* CHMNO cum edd. plerisque ante Hauthalium, ceteri cum hoc *accersis*, solemni varietate, de qua cf. Cortius ad Lucan. I. 166 quosque laudant Kritz. ad Sallust. Cat. p. 190 et Ellendt. ad Cic. de Orat. T. I, p. 262, sed ut plurimi olim *accersere* spreverint, donec nostra demum aetate codd. accurate collatis intelligeretur, hujus saepe multo meliorem auctoritatem esse. Illud quidem discrimen, quod ab antiquis grammaticis Charisio et Diomede propositum nuper rursus commendavit Stuerenburgius in progr. Hildburghusano 1839, ut *accersere* vocandi, *arcessere* accusandi vim habeat, in medio relinquemus; si quid tamen ei sententiae veri subest, et ipsa pro Hauthalio pugnabit. V. 46 *egregibus* C. V. 47 *iunicumque* G,

furicum MN iidemque *liquescat*; de reliquis cf. disp. II, p. 27. V. 48 *fasto* A, *farto* H itaque Achaintrius cum nonnullis antiquis, sed perperam, si quidem ipso quem laudat Catonis loco R. R. 134 *fertum* sive *ferctum* legitur. V. 49 *ouille* G idemque v. 50 *dabit* et *expers*. V. 51 *suspirat* solus Reizius eumque secutus Koenigius, haud scio an suo arbitrio, certe praeter necessitatem; cf. Hand. Turs. T. II, p. 295. V. 52 fere omnes nostri *incussaque*, quae tamen scripturae potius quam lectionis varietas est. V. 53 *larto* Schrevelius cum Pithoeo praeter necessitatem; cf. Hauthal. p. 152 et disp. II, p. 28, ubi etiam de v. 54 et 55 abunde dictum est. V. 56 *iam* NO; *athenos* HN. V. 57 *mittant* GK, *mittent* L V. 58 *sumto* G. V. 59 *visa* F. V. 61 *terris* omnes nostri, nisi quod B corrupte habet *ternis*; sed cf. disp. I, p. 28. V. 62 *hos templis nostris* C; *templis nostris* omisso pronomine F, *hos templis nostros* BG itaque editores nostri saeculi plerique praeter Hauthalium, qui cum Casaubono nostrisque AEHMNO *hoc* tuetur; sed scholiastae auctoritas, qua nititur, Mstorum nostrorum silentio certe dubia redditur, nec quidquam languidius cogitari potest quam ablativi constructio, quo ille confugit, ne *hoc* protinus abundare videretur; ne quis autem et *hos nostros* tautologice dici arguat, *hos mores* poëta tanquam praesentes quasi digito monstrat, *nostros* tanquam humanos divinis opponit. V. 63 *dicere* E, quod etiam Markland. ad Stat. Silv. III. 1. 82 commendat; at si quid difficultatis adest, hac emendatione non tolletur. V. 65 *urnato murice* K. Ibidem quod Pithoeus, Casaubonus, Reizius pro *haec* scripserunt *et calabrum*, no-

strorum codd. nullus confirmat. V. 66 *bacrum* A. V. 67 *precat* A; deinde *et hic* F, *et haec haec* GM. V. 68 *dicit* HMN, *discite* A, solemni confusione. Mox *in templo* FG; de reliquis cf. disp. II, p. 29. V. 70 *nempe quod* HMN. Deinde praepositionem *a* omittunt AE neque in C nisi posterior manus addidit; vix tamen apparet quomodo integra sententia abesse possit. V. 72 *possct* A. V. 73 *tus fas* A, *ius et phas* F; omnes autem *animi* pro *animo*, praeter unum E, cujus etsi magna apud nos auctoritas est, tamen non sufficit ad manifestam correctionem tuendam, quam praeter codd. numerum jam Lutatius ad Stat. Theb. II. 521 falsitatis arguit. Plurimi quidem recentiores *animo* receperunt; sed recte Plumius genitivum defendit comparato Horat. Serm. II. 3. 201: *rectum animi servas*, cui frustra opponit Hauthalius, virtutis speciem illic duobus vocabulis unam comprehendi, nunc autem locum significari, ubi jus fasque jungantur. *Compositum* enim praedicative intelligendum est, sicut mox *sanctos*, ut sensus sit, gratissimum superis domum fore, si quis jus fasque animi componat h. e. concinno usu et temperamento aliquo ornet, idque non minus apte dici arbitramur quam *rectum animi servari*. De v. 74 cf. disp. II, p. 29; v. 75 autem *hoc* HMNO, quod etiam edd. antiquas nonnullas occupavit, manifesta correctione; nec minus propatulo errore aut C *caedo* aut EG producto vocali alter *cedo ut moveam*, alter *cedo admoveam* scripserant, ut mittamus Pithoei lectionem *haec cedo admoveant*, h. e. admoveant me cedente; quamvis enim scholiastae verba, quibus *cedo* a verbo quod est *cedere* ipsa quantitate distinguitur, ab utro-

que Msto nostro absint, res ipsa tamen nihilo minus firma manet. Postremo *litabo farre* E.

Sat. III, v. 1 et 2 cf. disp. II, p. 30 sq. V. 3 *quo despumare* F. V. 6 *ulmo* sine *est* A idemque v. 7 *itan hec ocius*. V. 8 *hic aliquis* G; mox *nemo* C et *biblis* F. V. 9—12 cf. disp. II, p. 31. V. 13 *nigra sed* E I; *vanescit sephia* F; *venescat* AC sed correctum. V. 14 *fistulat* A. V. 15 *huncecine* B. V. 16 *venimur* G; *an cur* B; *tenero potiusque* G; de *palumbo* cf disp. II, p. 33. V. 18 *mamam* G. V. 19 *stedeam* G sed suprascr. *v*; deinde *illas* A. V. 20 *effuis* A; *affluis* MO. V. 21 *perausa* A. V. 22 *percuesa* pro *non cocta* HMNO. V. 24 *si* pro *sed* B, sed correctum; tum *ture* HM. V. 26 *metues* A, *metuis* O; deinde *patella est* G itaque Pithoeus, Casaubono, Achaintrius, Weberus vi prorsus perversa neque aliorum codd. auctoritate magnopere firmata, quapropter jam Dübnerus verbum recte omisit. V. 27 *liceat* F, idemque v. 28 *qui tusco*. V. 29 *censoremve* CGI, *censoremque* ABEFHMNO itaque recentiores ante Hauthalium plerique, nisi quod Casaubonus et Reizius ex conjectura *censoremne* ediderunt; eam tamen etsi edd. et codd. nonnulli Prisciani apud Krehlium T. II, p. 105 et 108 firmare videntur, Krehlius ipse profitetur *ue* et *ne* in codd. vix ac ne vix quidem discerni posse, quumque aegre explicetur quomodo tot codd. scriptura *que* ex *ne* oriri potuerit, hos quoque inter testes lectionis *ve* habebimus. Hanc autem linguae legibus magis convenire quam *que* ex notissimo illo particularum disjunctivarum usu prodit, quem interrogationes cum negationibus communem habent; cf. disp. II, p. 8 et Wagner. Quaest. Virgil. p. 571.

V. 30 *nosco* suprascr. *novi* B. V. 31 *nacte* FGHMNO. V. 34 *dimissus* A, *sumersus* G. Mox *rursus non* AEFGHMNO editoresque quantum scimus omnes; at antiquiorem formam *rursum* commendant optimi nostri BCI; cf. Bentl. ad Horat. Epist. I. 2. 17 et Reisig. Vorles. p. 211. Reizius quod edidit *non rursus* qua auctoritate quibusve argumentis nitatur, prorsus ignoramus. V. 36 *cupido* sed suprascr. *l. libido* B. V. 38 *ut videant* F itaque Passovius cum paucis codd. et edd. antiquis sine vi atque adeo extra constructionem, quae, ut recte Weberus monet, *quam ut* potius postularet; nec meliore fundamento idem v. 40 cum Reizio *aut magis* scripsit, quod etsi legi ad v. 29 positae respondere videatur, illud tamen discrimen intercedit, ut *aut* unius tantum interrogationis duas partes faciat, *et* vero ipsas duas interrogationes unam super alteram accedentes jungat; cf. Wagner l. c. p. 552 et 574. V. 42 *quasi* A. V. 45 *morituro* suprascr. *i* C. V. 46 cf. disp. II, p. 33. V. 48 *summo* EF; tum *quo dexter* A, *quod* BFHMNO ipseque E, sed postea correctum. V. 50 *redderet* A, *radderet* G. V. 51 *heu quis* HM; *neu callidior* G. A versu 52 E novae satirae initium facit cum inscriptione AD EOSDEM. Ibidem *inexpertum est* HMNO itaque Passovius praeter necessitatem; cf. Wagner. l. c. p. 441. Mox *deprehendere* BCFG. V. 54 *in sumis* G. Deinde *quibus indetonsa* GM, *indentosa* H, *deiuntosa* N. V. 56 *samos* G; de reliquis cf. disp. II, p. 35. V. 57 *collem* A. V. 58 *lassum* Passovius praeter necessitatem codicumve ullorum vestigia. V. 59 *hos citat* BD, *ossitat* G, *oscita* N; ibidemque *discussis* HMN. V. 60 *estne* F; *et inde* G,

de quo cf. disp. II, p. 35. V. 61 *textaque* HMNO. V. 63 *cutis erga* G, *tumebat* A. V. 65 *ecquid* Orellius ex ingenio, ut videtur, sed ut nobis non persuaserit, qui ne Hauthalii quidem parenthesi indigemus, hunc sensum vulgatae tribuentes, ut *et quid opus* etc. idem sit quod *quo facto* non opus erit terram et coelum ad medicinam petendam moveri; cf. Loers. ad Ovid. Trist. p. 375 et Wagner. l. c. p. 562; nisi etiam simplicius ita interpretabimur: *praeterea* medico omnino carere posse, qui philosophia imbutus modum servare didicerit. V. 66 cf. disp. II, p. 36. V. 67 *aut quidnam* BFGI recte; cf. schol. et Hauth. p. 208; ceteri *et*. V. 68 *quid datus* M; *datur* E. Ibidem *fluxus* FG, *andae* MN ridiculo errore; de reliquis cf. disp. II, p. 37. V. 71 *decet* A; *largiri* DG. V. 83 *nec invideas* DEFG cum plerisque editis; ceteri *neque* cum Hauthalio. V. 75 *monimenta* ABCF. V. 76 *quod propria* G; *defecerat* DHMNO; *orta* A. V. 78 et 79 cf. disp. II, p. 38. V. 80 *opstipo* E, *ostipo* G, *obstippo* H; tum *figentis* I, qui etiam v. 79 *salonis* scripsit. V. 82 *adque exprorecto* E. V. 83 *meditantum* HM. V. 84 *de nihilo nihilum* pro *nihil* AE itaque Pithoeus, Casaubonius, Plumius praeter necessitatem. V. 85 *cur palles* HNO. V. 86 *turosa* A idemque v. 88 *nescio qui*. V. 89 cf. disp. II, p. 38. V. 90 *quid* N. V. 91 *testia* A. V. 92 *maore dono* E suprascr. *m*, reliqui tamen omnes *domo*, nullus *domu*, quod solus Plumius reponit, incertum quo argumento, nisi quod docet, quod nemo paulo doctior ignorat, interdum etiam sic Latinos scripsisse; temerarius tamen fuerit, qui id sine idonea auctoritate recipiat. V. 93 *leuia* HMN,

cf. disp. II, p. 39. Mox *lauturo* AG cum Hauthalio nulla ad sensum differentia. Nomen proprium solita ignorantia corruperunt *sirentina* D, *surrentia* A, *syrentina* CH scribentes; gravior varietas est in sequ. voce, ubi etiam si Passovii lectionem *rogarit* ex una edit. vetere erutam mittamus, ceterorum omnium scriptura *roguvit* etiam nostris codd. ABCGHMNO firmatur; nos tamen haud scimus an iisdem de causis quibus Sat. II. 5 cum bonis nostris BEFI futurum *rogabit* restituendum sit. V. 94 *videas inde* G; *istut* A. V. 95 *tacite surgite* F; *tacitae* N. V. 96 *nec sis* G. V. 97 *sepelii* BCI; *sepelli* H. V. 99 *sulphurus* A; tum *dente exalante* G, *exalente* E. V. 104 *lasatus* A; *litatus* HMN. V. 105 *postam* A; tum *rigidas* optimi ABCI nec sine grammaticorum auctoritate; cf. Schneideri Formenlehre p. 119. Mire vero *extindit* C. De v. 106 et 108 cf. disp. II, p. 39; ibidem *nil cadit hic* F. V. 109 *num* A. V. 110 *surrisit* AE. V. 111 *cur* A idemque mox *cateno*; quod autem Reizius ex ingenio ut videtur reposuit *camino*, nec nostrorum ullus confirmat neque ipsi sententiae convenit, si quidem oleri nihil cum camino rei est, sed ipsum *algens catinum* cibi non cocti naturam egregie declarat. V. 112 *ex populi* A; deinde *discussa* BGNO pro *decussa* itaque Passovius cum paucis aliis, frequenti confusione; cf. disp. II, p. 35. V. 113 *tendemus* HMN. V. 114 *plebea* G; *plebeias* HMNO. V. 115 *tumor* D a sec. manu; Reizius *tremor*; sed cf. disp. II, p. 40. V. 116 *tunc* A. V. 118 *iurat* B a sec. manu; *iuret non sanus* F.

Sat. IV, v. 1 cf. disp. II, p. 40. V. 2 *quem tollit* AF; deinde

dura C, speciose, sed praeter necessitatem. V. 3 cf. disp. II, p. 41. V. 5 *callas* A. V. 6 *seruet* E; *bible* F. V. 7 in E omissus et posterius demum ab eadem manu quae glossas interlineares scripsit insertus est. V. 8 *magestate* E; *loquare* O. V. 9 *puta* ABO, ceteri *puto* itaque Casaubonus, Passovius, Achaintrius, Plumius cum magno utique codd. numero, quorum tamen ne exemplum sequamur, et major alterius lectionis elegantia et Prisciani testimonium prohibet, qui XV. 2 ipso hoc loco utitur ad probandam correptionem ultimae in *puta*, ubi adverbii locum teneat; cf. et Martial. XI. 58. 2 et Linge de hiatu in vers. Plaut. Vratisl. 1817. 8, p. 35. Mox *non iustum sine est* HMNO; iidemque et B in fine versus *istud*, solemni varietate, de qua cf. Cortius ad Lucan. VIII. 870; nunc tamen orationis tantum variandae causa illatum esse praeter vetustissimorum codd. dissensum etiam illud nobis persuadet, quod quum *iste* apud probatos scriptores fere semper ad secundam personam referatur (cf. disp. II, p. 9), hac scriptura recepta is qui nunc loquens inducitur orator, reliquis omnibus rationibus spretis, eam potissimum probaret, quam auditores jam elegissent! V. 11 *decernis* I; *uerum discernis* HMNO; *rectum discere nisi ubi* G. V. 12 *uarro* EG; *uero* O. V. 13 *potis est* B; *uitium* G; *thita* H. V. 16 *antecyras* D, *anticeras* G, *anthiceras* H; mox autem *merecas* DE, *merachas* G. V. 17 *quo tibi* H. V. 19 *exspectata* HMN; *in huno* A. V. 20 *dinochames* C. V. 21 *dum ne* suprascr. *non* D. Tum *pannucia* BFO, *pannutia* C, *pannuria* HMN, *pannucea* ADEG cum multis edd. nec facili dijudicatione, quam cum Hauthalio libenter

suspensam gerimus; plurium tamen codd. vestigia et Petronii 14 Isidorique Origg. XIX. 22. 24 exempla primam scripturam prae ceteris commendare videntur. V. 22 *distincto* AG; tum *ozima* CFH, *ocyma vene* E; *verno* A, *berne* G. V. 23 *et nemo* C sed correctum. V. 25 *vetidi* BCG, *vectidis* A, *vettidis* E. V. 26 *oberret* ACHIMNO itaque recentiores praeter Achaintrium Hauthaliumque omnes et antiquiores plerique; codd. tamen et nostri BDEFG et Hauthalii indicativum *oberrat* evincere videntur, atque haud scio an sic etiam augeatur proverbii vis, quum id quod ex altera lectione non fieri posse tantum dicitur, revera fieri neget. V. 29 *veterem* ACFG cum Casaubono plurimisque recentioribus; *veteris* BDEHIMNO itaque Plumius cum codd. editionibusque antiquis sane multis; accusativus tamen diuturnitatem conservationis lucidius pingit, simulque facilius intelligitur, quomodo antecedens genitivus sequentem secum trahere potuerit. V. 30 *scit* F; ab H verbum prorsus abest. V. 31 *farrata . . olla* edd. post Casaubonum fere omnes usque ad Hauthalium, qui primus ex edd. et Mss. antiquis accusativum restituit; eum vero casum nostri quoque ad unum omnes exhibent, nisi quod in C lineolae a posteriori manu superinductae esse videntur; quodque Plumius dubitavit num *plaudere* cum illo strui posset, contrarium demonstrat Stat. Silv. I. 2. 146:

claraque gaudentes plauserunt limina cygni.

V. 32 *pannosamque* F; *facem* G. V. 33 *et si* C sed correctum. Mox *cessas* G praeter necessitatem; de *frigas* cf. disp. II, p. 41. V. 34 *est prope ignotus* E, sed correctum. Deinde *tangit* HMNO;

acres G. V. 35 *respuat* C, *expuat* F, *dispuat* GI; de reliquis cf. disp. II, p. 42. V. 36 *et populo* B. V. 37 *tunc* ADEI, cf. disp. II, p. 44; multo vero minus cum HMNO et Passovio deterrimorum testium sectatore scribendum *in maxillis*, quod mero glossemati originem debere recte Hauthalius monuit; cf. et Wagner. l. c. p. 434. Vitiosissime denique *balantum* N, *causape* A, *petas* F. V. 38 *quia* pro *quare* HM, nota male intellecta; nec melior mox Achaintrii lectio *detonsis* ex paucis codd. petita neque ab ullo nostrorum confirmata; sicut enim inguina maxillis respondent, ita etiam gurgulio balanato gausapi oppositus suum sibi epitheton requirit. Sequens varietas levior: *curculio* F, *curgulio* G, cf. Lindem. ad Plauti Trinumm. IV. 4. 9; gravior *extet* in D, quanquam hac quoque facile supersedemus. V. 39 *palestine* A; *vellent* C. V. 40 *forpice* BFG; *focipe* E. V. 41 *etamen* C sed correctum. Deinde *filex* D et B a prima prima manu; *felix* F, *foelix* G idemque mox *mansuescet*. V. 42 *praebentes* HMN, iidemque v. 45 *protegis et; protegit ut* AFO itaque Passovius, sed sententia minus apta; *praetegere* enim est ita tegere, ut hominum oculos fallas, *protegere* vero defendere, tueri. V. 48 *poenem* C. V. 49 *cautus multa* B. V. 50 *nequaquam* A, *nequiquam* D. Tum *donauerit* C sed correctum. V. 51 *respice* GHMN; *credo* N. V. 52 *aut noris* N, ut *noris* ADEFIO; sed cf. disp. II, p. 44.

Sat. V, v. 2 *carmine* CHMNO. V. 5 *quanti* G. V. 6 *guttere* D, *gueture* G; mox *mitti* F. V. 9 *sibi* pro *saepe* B. Deinde *insulco* C; *glicone* A, *gliconi* D. V. 10 *te* O; *anheliti* A, *anhelandi* B.

V. 11 *primis* F; *cluso* A; *raucis* AC. V. 12 *comicaris* H. V. 13 *stlopo* A, *sclopo* FG, *scloppo* HMNO; ceteri *stloppo*, quod firmat Priscian. I. 10. 58. V. 15 *terris* I, *teris* ceteri omnes; sed cf. disp. II, p. 45. V. 16 *ingenio* AHMNO itemque BF a priore manu, sed correctum. Deinde *prefigere* G. V. 17 *trabe* N. Tum *dicis* C, *dices* AB, sed in hoc correctum *dicis*, itemque *dobeas* vel *dicis* I; schol. tamen conjunctivum firmat. Postremo *mensamque* Reizius cum multis edd. antiquis, sed sine codd. auctoritate et praeter necessitatem; cf. Wagner. l. c. p. 406 et de ipsis Thyestae mensis Ovid. Metam. XV. 462. V. 18 *plebeia* C. V. 19 *hec* F; de reliquis cf. disp. I, p. 29 sqq. V. 20 *turgescit* F; *fumoque* G. V. 23 *pars tibi sit* HMN; *amicae* D. V. 24 *dinoscere* ABCEF pariterque inf. v. 105. V. 25 *crepit* F, *crepe* N. Tum *plectoria*, cf. disp. II, p. 47, eandemque ad v. 26 *his*. Mox *depromere* C notabili errore, idemque v. 27 *et quantum* sed correctum. Deinde *quantum ego te* HM; *sinuoso pectore* F. V. 28 *totum hoc* HM; *hec* FN; *hoc* suprascr. *ae* B. V. 32 *sub ira* A. V. 34 Dübnerus cum paucis codd. sed Achaintrio suadente *est* post *ambiguum* ejecit, miro et prope inaudito hiatus genere; an voluit *vitaï?* V. 35 *diducit* D itaque plurimi edd. ante Hauthalium; sed cf. disp. II, p. 35. V. 36 *seposui* BC, sed in utroque suprascr. *sub; posui* E. V. 37 *tunc* HMNO itaque edd. antiquae et recentiores paene omnes; optimi tamen nostri cum Hauthalio *tum*, quod etiam sententiae magis convenit. V. 38 *ostendit* GHMNO itaque Reizius cum paucis aliis codd. et magno sententiae detrimento, quae ipsa *intortorum morum* oppo-

sitione *extendit* flagitat. V. 40 *ducit tuo* G. V. 41 *tecum et* E. V. 45 *hoc* abest a F; *hec* G; tum dubitas I. V. 48 *ora* HMNO. V. 49 *facta* HM; *tuorum* E. V. 51 *quid* pro *quod* BFMNO itaque Passovius et Plumius cum multis edd. antiquis nec paucis codd. sed nimis proclivi errore sensuque incommodo, si quidem antecedentia satis demonstrant poëtam de eo tantum ambigere, quod potissimum astrum commune habeant. Mox *comparat* F per glossema. V. 53 *est* omittit A. V. 55 *piger* A; *cimini* AF; *cymini* BD. V. 57 *hii campo indulgent* C idemque mox *dequoquit*. V. 58 *putris est sed* A; *putris et* C idemque B a priori manu, sed suprascr. *sed; putris vel putrit* I, quam varietatem etiam scholiasta novit, cf. disp. I, p. 33; quod tamen Casaubonus cum Pithoeo scripsit *putret*, a codd. non plus auctoritatis habet quam quod multi recentiorum ediderunt *est putris*, cui jam verbi *est* inconstantia suspicionem movet. V. 59 *feceris* suprascr. *fregerit* D. V. 60 *tum* HMN. V. 61 *sero* F. V. 62 *nartis* C. V. 63 *enim es* O itaque Casaubonus cum Pithoeo et Plumius, quod tamen nec codd. numero nec constructionis concinnitate commendatum jam Dübnerus sustulit. V. 64 *cloantea* FG. Deinde *hunc pueri senesque* B; *hinc puerique senesque* DEF, *juvenesque senesque* ceteri cum edd. quotquot novi omnibus; *pueros* tamen cum schol. praeferendos videri jam disp. II, p. 48 dictum est. V. 65 *seris* pro *miseris* conj. Markland. ad Stat. Silv. V. 2. 58 praeter necessitatem. Tum *viatico* A. V. 66 *cras fiat* DE, quod si locum haberet, interrogative intelligendum esset. Tum *quod quasi* I a manu secunda. V. 69 *aegerit*

HMN. Deinceps *hoc* A idemque B sed corr. *hos*. Postremo *gerit* pro *erit* O. V. 70 *prope se* D, quod etiam in E pro var. lect. superscriptum est. V. 71 *cautum* GMO. V. 72 *currat* D; *curas* HMN. Tum *acce* N. V. 73 cf. disp. II, p. 49. V. 74 *tesserule* F; *tessarula* G. V. 75 *possedit* A; *uiri* E. V. 76 *uertiga* G. Deinde *sic damna est* I idem v. 79 *damna*, quod etiam schol. cod. Norimb. legisse videtur. V. 77 et 78 cf. disp. II, p. 51. V. 80 *tu minimos* F. V. 82 *mea* sed suprascr. *mera* B. Deinde *hoc* ABCDE cum plerisque recentiorum; *heċ* FGN; *hanc* HMO itaque Passovius cum multis edd. antiquis, codd. autem, ut videtur, admodum paucis et maxima correctionis specie, quam tamen neutiquam necessariam esse statim intelliget qui recordatur ipsum femininum *haec* in antecedentibus attractioni tantum originem debere. Facilius tolerari posset *haec*, quod haud scio an Dübnerus restitui voluerit; codd. tamen commendatio, si et nostros et Hauthalium sequimur, non tanta est quanta illi videbatur, offenditque ejusdem vocabuli in duabus significationibus iteratio; quapropter in vulg. lect. acquiescendum erit. Postremo *pillea* CDEFG; *donat* F. V. 83 *libuit liber* pro *alius liber* A, glossemate ex sequ. versu in alienum locum substituto. V. 84 *cui libet* FMNO, perperam; nec tamen magis probo mox *libuit*, quamvis bonis codd. BDE commendatum, praesertim quum in ipsis BE jam *voluit* correctum sit, in aliis autem apud Hauthalium p. 343 *libuit* pro glossemate superscriptum appareat, fortasse ab eo qui *liberi* vocabulum a verbo quod est *libere* derivaret; nec scholiasta, si notas initiales sequimur, *libuit* sed *uoluit* legit. Po-

stremo *non sim* C itaque Casaubonus, Reizius, Passovius, Plumius, sed codd. auctoritate paene nulla nec sensu flagitante, quem indicativo potius favere arbitror: *negas me esse?* non: *esse non possim?* V. 86 *acoeto* C. V. 87 *licet illud et ut volo* ABCEGO cum Casaubono, Reizio, Hauthalio, eodemque ducunt *licet illud et volo* D, *licet illud ut volo* F; ceterorum autem recentiorum scriptura *licet ut volo vivere* solis nostris HMN firmatur, quae ut facilior sit, hac ipsa tamen re correctionem prodit; nec major commendatio est lectionis Orellianae et Plumianae in antecedentibus *hoc reliqua accipio*, quam si propius spectes, conflatam tantum ex duabus deprehendes. Casaubonus certe, Reizius, Passovius *hoc reliquum* scribunt; nostri vero omnes *haec reliqua* exhibent, idque etiam Hauthalio adstipulante eo magis praeferimus, quo saepius jam antea singularem pronominis pro plurali a librariiis substitutam vidimus. V. 88 *vincta postquam* F. V. 90 *massuri* MN, *mansuri* et corr. *mansura* D. Tum *vetavit* BCDEFN idemque voluerunt *vatavit* A et *vetat* O; altera lectio *notavit*, quam Plumius cum Murmelio aliisque edd. antiquis recepit, et alios codd. paucos et nostros GHM tantum auctores habet, manifestamque grammatici sollertiam prodit, qui vulgatae formae insolentiam vitare vellet; quanquam haec ipsa vix a librario proficisci poterat. V. 91 *rugasaque* E. V. 92 *cum* BFHM. V. 93 *erit* DN; *tenua* G. V. 96 cf. disp. II, p. 52. V. 97 *non liceut* HMNO; deinde *id* omittunt ADE; postremo *uiciauit* ABDEFI, solemni varietate, cf. sup. II. 5. V. 98 *plublica* E; *natura continet hos fas* G. V. 99 *tenat* E. V. 100 *deluis heleborum* G; *dilluis*

O. V. 102 *navium sic* A; *navim* BFGH; *poscat si* MN. V. 103 *clamet* HM, *exclamit* A, *exclamat* G, idemque in B pro varia lectione suprascriptum est. V. 104 *certo vivere talo* O. V. 105. 106 cf. disp. II, p. 53; leviora sunt *callis* D a secunda manu, *neque* G, *tinneat* GHMNO. V. 107 *quaeque vitanda* C; *quaeque vitanda forent quaeque sequenda* HMNO, contra metrum utrumque; commodius *et quae vitanda* AFG itaque Reizius cum plurimis edd. antiquis, sed codd. exiguo tantum numero, quorum corruptela quomodo oriri potuerit, ubi semel praepositio in *evitanda* ab antecedenti vocali absorpta erat, facile apparet. V. 108 *mox hic* suprascr. *o* C. V. 109 *et modicus* H; *uotis* G. V. 112 *gluto* ABFGHMNO. V. 113 *tenero* A. V. 114 *liberque sapiens* F. V. 115 *pabulo* A. V. 116 *retinens* AC; *in fronte* G; *polita* DEI, quanquam in I adscriptum est vel *politus*, nec dubitamus quin masculinum praestet, quia hoc multo faciliore errori in femininum mutari poterat. V. 117 *serues* F, *seruans* ACEG; cf. disp. II, p. 54. Deinde *in pectore* Pithoeus, quod nullo nostro codice firmatur, ex glossemate autem ortum esse superscriptio in E ab alia manu facta ostendit. V. 118 *relego* BDEIP, *repeto* ACFGHMNO idemque in I et P pro varia lectione, sed ut vetus glossema esse appareat, quod mirum est praeter principem omnes edd. ad hunc usque diem adeo adstrictos tenuisse, ut ne Pithoeus quidem aut Marcilius, qui melius scribi *relego* intellexerunt, quidquam mutare ausi sint. Commendavit tamen veram lectionem jam Heinsius ad Ovid. Fast. III. 462, eademque ratio est Horat. Epod. II. 69, ubi antiqua ipsisque scholiastis probata

lectio *relegit* a Bentleji inde temporibus spernitur, licet is magna exemplorum nube nihil effecerit nisi de quo nemo dubitat, pecuniam etiam *redigi* dici; aliud vero est ex re vendita pecuniam debitam *redigere*, aliud creditam vel fenori positam *relegere* vel ut scholiasta explicat *recolligere*; idque eleganter dici potuisse *relegere* et illa exempla docent, quae ipse Bentlejus ad Od I. 34. 5 de via vel itinere *relegendo* hoc est *iterando* vel *repetendo* larga manu congessit, et prorsus geminum nostri Valer. Fl. Argon. VI. 237, ubi hasta dicitur *docilis relegi docilisque relinqui*, hoc est sive repetere illam sive in hostili corpore relinquere jaculator vellet pariter idonea. Scholiastae quidem lemma *repeto* offert, interpretatio vero vocem non tangit, quumque in Norimb. initialis tantum nota exstet, hoc quoque lemma antiquae varietatis contagionem sensisse verisimile est. Tum *finemque* AE male. V. 120 *ecquid* O; *pravum* B; *si nullo* E. V. 121 *erreat* E. Deinde *semicincia* C, *semiuncia* FHMNO itaque Hauthalius, suffragante Wagnero ad Virgil. Aen. III. 578, at haud scio an vetustior palimpsestorum et inscriptionum auctoritas in tali compositione elisionem prae synizesi commendet; cf. Peyron. ad fragm. Cic. pro Tullio c. 18. V. 123 *tris* EH itaque Plumius, alii *treis:* nos tamen nihil causae videmus cur a vulgari scriptura recedatur; ea enim judicii subtilitate, qua Gell. N. A. XVIII. 20 Virgilium has formas distinxisse tradit, librarios nostros usos esse vix diximus. Deinceps *tamen* pro *tantum* F; pro *satyri* autem plerique *satiri* ut mox *bathilli; satin* A, *sacrri* E. V. 124 *subtile* E.; de reliquis cf. disp. II, p. 54. V. 125 *nisi qui* F, *non quam* G;

iidem mox *relaxet* praeter necessitatem. V. 126 *strigeles* D, *stigiles* E. V. 127 *sin crepui* A, *si crepui* E, sed suprascr. *in* et manifesto eraso *t; si increpui* B, sed is quoque suprascr. *vel it*, nec profecto idonea causa est cur cum Hauthalio prima persona restituatur, quam is paucorum tantum eorumque levissimorum Mss. auctoritate recepit. Certe vix deceat poëtam vel philosophum Stoicum, qui haec loquitur, vel speciminis causa tam acri imperio servum increpare, multoque elegantior est subjecti indefiniti omissio, quod quum antecedente *domini* vocabulo neminem fugere posset, pronomine addito clarius significari non necesse erat. V. 128 *ne quicquam* A; *nequicuquam* N. V. 130 *nascantur* Casaubonus, Reizius, Passovius, Plumius nullo nostro codice addicente sensuque debiliore, quum fieri posse tantum indicet, quod indicativus jam fieri declarat. De sequ. *quin tu* cf. disp. II, p. 54. V. 131 *hic ad* omisso *quem* E. V. 132 *auaricia uera* HM; in A autem verba *avaritia eja* et *non queo surgere* in sequ. v. loca sua permutarunt. V. 133 *nefas* HM; mox *inquis* pro *inquit* C. V. 134 cf. disp. II, p. 55. V. 135 *stipulam* A, *stupas* BO; mox *toa* A, alii *choa* vel *coha* solita variatione. V. 136 *e sitiente* HMNO itaque editiones antiquae pariter et recentiores pleraeque omnes, licet ipse sonus pleniorem formam *ex* commendet, quam noster C habet, eodemque ducit *et sitiente* in ABDEFG; cf. Hand. Turs. T. II, p. 662. Deinde *camello* GH vitiose. V. 137 *aliquid uita* HMN; tum *audiat* C et in fine *heu heu*, quod ipsum Plumius ex nonnullis codd. recepit; at facilis suspicio est hanc lectionem versus tantum explendi causa introductam esse, quum in

aliis ut nostris GH solum *heu* exstaret; quanquam in ipso E mox a secunda manu correctum est *eheu*. V. 138 *vare* EO, *varro* MN, nullus autem nostrorum habet *baro*, quod codd. auctoritate prorsus exigua Reizius, Orellius, Weberus cum antiquioribus nonnullis receperunt, quanquam apud Ciceronem vel recentissimo editore Madvigio ad Fin. II. 23 teste eodem consensu codd. formam *baro* tuentur, cf. etiam Giese ad Divin. II. 70. Deinde *saligerum* A, *salinam* D a sec. m. V. 139 *iuve* E, *credis* G, solo oculorum vel calami errore; de reliquis cf. disp. II, p. 56. V. 140 *puer is* CMN itaque Achaintrius cum veteribus nonnullis; at cur *puerum* dicamus, qui ad mercaturam faciendam peregre profecturus est? nec tanta vulgatae difficultas est, ut aut hac emendatione aut ea indigeamus quam nuper proposuit Küsterus de Co insula, Hal. 1833. 8, p. 52:

jam puer it pellem succinctus et oenophorum aptus;

aptus enim, quamvis etiam in uno nostro A exstet, non minus vitiosum est quam omissio copulae *et* in G. V. 141 *navim* E itaque Weberus non majore necessitate quam sup. v. 102. Deinde *obstet* D; *qui* HMN. V. 142 *ni* BE. V. 138 *moueat* G; *revis* A. V. 145 *quod non* suprascr. *vel quam* E; contra *quam non vel quod non* I. Deinde *exstinxit* G. V. 146 *tum* FHMN. V. 147 et 148 in D transpositi sunt; de singulis 147 *vegentanum* ABEF, *ueietanum* C, *veipetanum* D, *vegetanum* G; 148 *exalit* A, *exalet* CG; *abba* A; omnes autem recte *sessilis*, non *fissilis*, quod Reizius cum exiguis libris et alienissimo attributo in ordinem recepit. V. 149 *quincunte* F. V. 150 *nam numerat* pro *nutrieras* A; de reliquis cf. disp. II,

p. 58. V. 153 *laeti* C. V. 154 *scideris amo* E; *sinderis* G. V. 155 *huccine* MNO. V. 156 *oberras* suprascr. *e* D; *oberraes* E. V. 157 *ne tu* A; *ne cum* D; *nec cum tu* EG. V. 158 *rumpi* CEGHMNO itaque Plumius cum paucis aliis codd. satis languide, si quidem praesens in eo esse demum ut vincula rumpantur significaret, oratio obliqua autem vividum orationis colorem infringeret. V. 159 *nam luctata* GHMNO; *nondum* F; deinde *apripit* D, *arripit* AFGHIN; quod etiam Pithoeus et Plumius ex satis magno codd. numero receperunt; sed schol. explicat *abrupto vinculo*, nec profecto apparet quomodo canis nodum, quem effugere studet, ad se rapere possit. Contra in sequ. plurimi nostri cum Hauthalio *ast tamen*, unde ipsa vulg. *attamen* corrupta esse videtur; pauci tantum ut nostri DE et *tamen*, *attamen* solus G, idemque v. 160 *dum fugit* et *pars magna catenae* ex glossemate, quod etsi B quoque exhibet, in hoc tamen suprascr. est *longa*. V. 161 *labores* suprascr. *dolores aut amores* D. V. 162 *praetentos* A. V. 163 *abrodens* AFGHMNO itaque edd. antiquae et recentiores fere omnes, nisi quod Marcilius in comm. *adrodens* melius legi ait; hoc vero etiam optimi nostri CDE ipseque B ex correctura exhibent, nec dubitamus quin rectius legatur, si quidem hic gestus meditantis, alter desperantis potius esse videtur. Deinde *hoc* ACI, quod tamen non magis quam III. 1 et IV. 1 recipiendum videtur; praeterea *siccus* A, *hostem* G. V. 165 *unctas* E. V. 166 *obruis* A. V. 167 *diis pellentibus* D. V. 168 *cessen* C, *censes* G, *consem* DI, *cessem ploravit* A. V. 170 *nec trepidare* G; *adque* N; *at artos* D, *atque artos* ACEO; *arcto* HM.

V. 171 *aut mora* H M. V. 172 *quodnam* D. Tum *ne nunc* A B C H M N O, *nec nunc* D E F G, itaque Passovius, Orellius, Weberus, Hauthalius; faciliori lectione sed quae et codd. numero et Horatii exemplo Serm. II. 3. 262 elevatur; utque concedamus Madvigio ad Cic. Fin. I, p. 83 usum particulae *ne* pro *ne — quidem*, quem alii post Ruhnk. ad Rutil. p. 129 defenderunt, ambiguum esse, nihil obstat quo minus in utroque loco eodem sensu intelligamus quo apud Horat. Serm. II. 1. 5: *ne faciam inquis omnino versus?* hoc est: vetasne me nunc accedere? Postremo *arcessor* A D I N idemque C ex correctura, quum prius fuerit *arcessat*; ex reliquis autem *accersor* B E F G, *arcersor* H M, *acersar* O, unde hoc certe patet conjunctivi auctoritatem ex codd. satis exiguam esse, quapropter nec cum Casaubono et Pithoeo *accersat* nec cum Plumio *accersar* scribendum censemus; de ipso verbo cf. sup. Sat. II. 45. V. 173 *supplicat* Reizius et Orellius, nullo nostrorum codd. aliorumque satis ambiguo testimonio, ut jure nostro dubitemus an consulto Persius modorum enallagen usurparit declaraturus alterum, quod arcessatur, certum, alterum vero etiam ambiguum esse. V. 174 *exireis* A, *exierae* B C, itaque edd. recentiores omnes; sed jam in C correctum est *exieris*, quod a maximo codd. nostrorum numero multisque edd. antiquis firmatum ipsique Bentlejo ad Horat. Serm. II. 3. 262 commendatum praeferimus, quia plusquamperfectum prorsus alienum ab hoc loco est, futurum exactum autem ex imperativi vel conjunctivi natura cum futuro cognata facile explicatur. Deinde *ne nunc* hic quoque A B itaque Casaubonus et Reizius cum Bentlejo; at opinor longe alia causa hujus et superioris

versus est, si quidem illic *ne* non pro *ne — quidem* usurpatur, quae sola huic loco significatio conveniret; acceditque major codicum numerus, in quo etsi non prorsus *nec nunc*, tamen in aliis ut M N O inverso ordine *nunc nec*, in aliis ut D E F G H multisque edd. vetustis manifesta corruptela *nunc nunc* scriptum est; C quoque noster, qui a prima manu *ne tunc* habet, a secunda suprascriptum *nunc nunc* offert; quae quum ita sint, non magis quam Achaintrius et Plumius dubitamus, quin hic certe cum Passovio, Webero, Orellio, Hauthalio *nec nunc* restituendum sit. V. 175 *littor jam* G; *lictor quem* H M. V. 176 *iusne* N O. Tum *palpa* E, *palpae* et a secunda manu *palpat* D. Postremo *ducet* G, *dicit* H M. V. 177 *ambicon* G; *et vigila* A. V. 178 et 179 in E transpositi sunt; in priori *mostro* F. V. 180 *horodis* G, *iunctaque* A. V. 181 *dipositae* E; *pinge* A. V. 182 *fialas vel violas* B. V. 183 abest ab A. In ceteris *natet* D, *nata* M. V. 184 *recitata* A, *recucitaque* G. V. 185 186 cf. disp. II, p. 57. V. 188 *gestaveris allum* A. V. 189 *disceret* A; *hoc* G. V. 190 *contineo grassum* A; *crassumque* G. Tum *fulfennius* A B D, *phulfennius* C, *puluennius* E, *vulfermius* F, *fuluenius* G, *fulphennius* H, *pulfennius* I, *tulphennius* M, *vulpenius* N O, ambigua optione in nomine rustico et ignoto, quod ne aequales quidem fortasse semper iisdem literis scripserunt. V. 191 *licebit* D.

Sat. VI, v. 2. 3 cf. disp. II, p. 59. V. 4 *adque* A. V. 6 *egregios . . senes* omnes nostri praeter unum C, cf. disp. I, p. 7. Tum *lusisse vel laudasse* B, *iussisse vel lusisse* E; postremo *ligus et ora* H M, *ligur et ora* N; *ligur* etiam O. V. 7 *hybernetque* N O; nullus

autem *hiberno atque*, quod Hauthalius ex conjectura posuit, suo quidem judicio venustius, nostro vero satis invenustum, praesertim quum hibernare mare longe alio sensu atque homo dicatur. De tempestatibus enim hibernis agi satis docent sequentia, quae prorsus otiosa forent, nisi mare ad scopulos aestuans poëtae ante oculos esset. V. 8 *recepit* C, quod etiam in B pro varia lectione adscriptum est, haud profecto male; sed nulla mutandi necessitate, nisi plures codd. addixerint. V. 9 cf. disp. II, p. 59. V. 10 *destituit* G. V. 11 *et phitagoreo* D; *pictagorea* G. V. 12 *quid* omisit A. Tum *preparat hauster* F; *hauster* etiam E; *austeri* H. V. 13 *aggulus vel angulus* I; *illis* A. V. 14 *pinguior quia*, C. Deinde *et si* Hauthalius pro *etsi*, nescio utrum languidius an durius, praesertim quum nihil cogat verbum post *securus* suppleri, sed ipsum ad *recusem* trahi possit. V. 15 pro *orti* D a manu secunda *ortis; horti* HM. V. 16 *senio minui* C, sed correctum. Tum *haud* pro *aut* N; a G prorsus abest. Post hunc versum C inserit versum Juven. I. 57: *doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.* V. 17 pro *et signum* D a manu secunda *aut signum.* Tum *lagoena* C. V. 18 *discrepat* D a manu secunda. Tum *hic alius* GHM; *naro* A. V. 19 *est quid* A. V. 20 *holus* CDE. Deinde *muriaque vafer* G; *empte* A. V. 21 *inrorans* C; *sacrum rorans patina* G; *piper patene* D. V. 22 *magnanimis* D. Tum *utar non abutar* F. V. 23 *scombros* DEFGN, cf. disp. II, p. 59. Ibidem *adeo* A, *apponere* HM, *lautis* G. V. 24 *te* pro *nec* O; *nosce* D; de reliquis cf. disp. II, p. 60. V. 26 *mertuas* ACI itaque Casaubonus, Pithoeus, Achaintrius, Orellius, haud

scio an metri causa, cui tamen in caesura et interpunctione non tam anxie providendum vidimus ad Sat. II. 55; ipsumque avarum, qui metuit ne res familiaris parum sufficiat, poëta sibi proposuit, quapropter jam Dübnerus indicativum merito restituit. Tum *en seges* DF cum Achaintrio praeter necessitatem, quum ipsum *et* haud raro significet *quo facto* cum notitia celeritatis; cf. ad Sat. III. 65. Postremo *herba* sine *est* O. V. 27 *at vocat* G; *bruttica* B, *brucia* DEF, reliquorum plerique *bratia*, sed in orthographia nominum propriorum codd. exigua auctoritas est. V. 28 *prendet* A, *praendit* N, *praetendit* HM. Mox *rem qui* N; *surdaque vocata* F. V. 29 *condidit ingenio* A, idemque v. 30 *ingentis* et *namque*; tum *depute dei* E, *jam obuia* G. V. 31 *capsite* D. V. 32 *aliquod* DE; *nec pictus* L. V. 33 *heros* A. V. 34 *negleget* CE; *negligit* F. Mox *curtarius* G. V. 35 *inodorabit* D a secunda manu syllaba *da* erasa. Deinde *spirent seu cinnama* G. V. 39 *seu crasso* G. V. 37 *incolumis* AC. De reliquis cf. disp. II, p. 60. V. 38 *doctoresque* F. V. 39 *venit* abest a HM. Deinde *hoc nostrum* ABF contra metrum, quia *postquam* cum praesente comicorum sermoni relinquendum videtur, cf. Goeller. ad Plaut. Trinumm. p. 122; eademque de causa nec Hauthalii suspicionem probamus, qui *venit* ab eo quod est *veneo* derivat; de reliqua tamen interpretatione prorsus huic assentimur, ideoque nec Reizii emendatione indigemus, qui cum Bentlejo ad Horat. Epist. I. 15. 37 *vestrum* pro *nostrum* scripsit. V. 40 *foenisieue* E; *feniseci et crasso* G; *erasso* N; *inguine* G. V. 41 *nec cinere* GHM. V. 42 *quidquis* E; tum *seducior* D, *se-*

duplior G. V. 44 *ad cladem* D. V. 45 *et iam* F; *at iam* G. V. 46 cf. disp. II, p. 61. V. 47 *ingentes locat et* F. V. 48 *grandioque ducis* A, *genio ducis* G. V. 49 *in luto* E, *in luco* DI, sed hic addito *vel induco*. V. 50 *ne si coniues* D; *ne tibi si coniues* E. V. 51 cf. disp. II, p. 62. Ibidem *dicis* G, *inquit* I, sed suprascr. *inquis*, nec quidquam causae erat cur Plumius tertiam personam praeferret, quum ipsa quae antecedunt (*dic clare!*) suspicionem moveant, heredem responsum sibi introrsum murmurare, quod poëta demum ex illius ore perceptum lectoris oculis proponat. V. 52 *iusta est* G idemque mox *nulla est*. V. 53 *de reliqua* A, idemque v. 54 *matertera iuxta*. V. 56 *praesto mihi* F, *praesto mihi est* HM; deinceps *manus* M; *mannius* BCDE. V. 57 *queres* F; *quis tibi* G. V. 58 *promptus* HM. Tum *dicam tibi tamen adde et unum* G. V. 59 *terre est filius* A; *terrae est etiam filius* C. V. 60 *manius* HM, *maenius* ABCE. Deinde *geris* E idemque mox *avunculus*. V. 61 *poscas* ABCGI, itaque Pithoeus, Achaintrius, Plumius, ceteri *poscis* ambiguo discrimine; sed ut major codd. fides conjunctivo accedat, nec profecto male, si quidem Persius omnino fieri posse negat, ut ille poscat quod ipsi non debeatur. V. 62 *cum tibi* F, idemque v. 63 *nennuis*. V. 64 *eamque* C; deinde pro *minui* N *nunit*, O *numini*. V. 66 *legerat hic tadius* A; *legerat* etiam B; *legarit* NO; de nomine cf. disp. II, p. 65, eandemque de lectione *nec*. Pro *repone* quoque alii ut BCEI *pone* idemque scholiorum codex Lugdunensis; sed in textu C *re* superscriptum gerit, in E autem syllabam erasam esse apparet, nec quod FG *impone* aut HM cum Pithoeo *oppone* exhibent, vul-

gatae lectionis elegantiam aequat. V. 68 *iam pensius* AC recepitque Hauthalius, cf. p. 452, docte, nec tamen ut persuaserit; nam et *pensius* ante Symmachi aetatem vix invenietur, et offendit *jam* post duplex *nunc* illatum, cujus major vigor est, quam qui addito *jam* augeri potius quam retardari videatur. *Jam* enim praesentem statum cum praeterito vel futuro comparat, *nunc* autem ad ipsum praesens tempus spectat; quae singula recto temperamento junguntur; altero autem duplicato tanta huic vis accedit, ut nihil alieni admisceri debeat, nec magis *nunc nunc jam* quam *jam jam nunc* dici posse arbitramur. V. 69 *festa in luce* G; tum *coquetur* ACDFINO idemque B ex correctura; sensum tamen meliorem praebet conjunctivus: *mihi coqui vis?* cf. Cic. pro Sestio 36. V. 70 *et fixa* HO; *et scissa* G. V. 71 *estis* G. V. 72 *morbosa* NO. Deinde *singuloiet* F, *singulet* G, *singultier* H. V. 73 *imineat* H, *imminuat* M. Deinde *ublue* C; *tramma* HM; *figure trama* G. V. 74 *omenta . . uentris* D a secunda manu. V. 75 *unde* A. V. 76 *ne sit* cf. disp. II, p. 65 eandemque ad v. 77 et 79, de *plausitae* et *depinge;* reliquae varietates exigui momenti sunt: *cupadbaea* F, *pingues rigida* G; tum pro *catasta* A perperam *canisto;* V. 79 *redit* omittunt AG; ex ceteris *reddit* M, *redit in rugam deciet* A, *rugas* FHM. V. 80 *crisyppe* HM.

Corrigenda.

Disp. I, p. 10, l. 12 lege *diligentia tanta.*

— II, p. 51, l. 22 lege *emeritis quinis vicenis.*

— III, p. 2, l. 17 lege *heliconiadasque.*

p. 12, l. 22 lege *producta.*

p. 13, l. 12 et p. 15, l. 18 lege *Casaubonus.*

p. 24, l. 15 lege *errore.*





